
EUSTACHII MANFREDII
EPISTOLA
Ad Virum Clarissimum
DOMINICUM QUARTAIRONIUM
Qua Anonymi Assertiones XVI. pro Reformatione Calendarii

Ab illo impugnatæ vindicantur.



VENETIIS, M. DCCV.

Apud Antonium Bortoli.

SUPERIORUM PERMISSU.

VIR CLARISSIME.

Librum tuum Romæ nuper editum, quo sexdecim Anonymi assertiones ad Calendarii Ecclesiastici emendationem pertinentes totidem responsionibus excipis, Bononiam misit V. Cl Justus Fontaninus ad Illustrissimum Marchionem Joannem Josephum Ursium, cujus doctrinæ, atque eruditioni cum omnes plurimùm tribuunt, tum ego amori, ac beneficentiæ longè plus etiam debeo. Is mihi legendi libri copiam fecit; quam opportunitatem eo libentiùs arripui, quòd aliàs in his ipsis Calendarii rationibus expendendis operam aliquam posueram, postquàm rumor percrebuit Sanctissimi Pontificis nostri Clementis XI. auctoritate nescio quid de Paschalibus Tabulis emendandis Romæ agitari. Nec diffitebor me ex eo tempore in eandem sententiam fuisse facilè inclinatum, quam ab Anonymo astrui, à te impugnari video; nam & eam gravissimis argumentis niti judicabam, & audiebam probari magnopere viris Chronologicæ rei consultissimis; quorum vel si argumenta non nossem, ipsa auctoritas profectò me commoveret. Horum omnium instar duo præsertim esse possunt. Alter Illustriss. & Reverendiss. Franciscus Blanchinus ejusdem Sanctiss. Pontificis Cubicularius honorarius; qui justo opere *Paschale* hoc *Problema* complexus, & correctionis necessitatem demonstravit, & rationem ejus novam atque ingeniosam adinvenit; mox autem duabus dissertationibus: *de Cyclis Cæsaris & Hippolyti*, nec non de *Numo*, *& Gnomone Clementino* rem totam uberiùs explicuit; Alter Celeberrimus Vir Joannes Dominicus Cassinus; qui omnium primus, suis literis Christianissimi Regis mandato Romam scriptis; deinde dissertatione Typis edita, quæ Commentariis Regiæ scientiarum Academiæ anni 1701. inserta est, ostendit in Paschales Tabulas, quæ nunc usurpantur, errores aliquos adversus Astronomiæ præcepta, & Gregorii XIII. mentem irrepsisse. Effecit nihilominus, V. Cl. magna apud me tui nominis existimatio, ut ad libri tui lectionem æquum docilemque animum attulerim. Versavi illum diligenter; expendi rationum tuarum momenta; neve præjudicium aliquod menti meæ tenebras offunderet, vel de iis, quæ mihi maximè certa videbantur addubitavi. Sed sive non erat hoc ab ingenii mei mediocritate expectandum, ut argumentorum tuorum vim prorsus assequerer; sive tribuendum id est conceptæ semel opinioni, quam semper ægrè, illibenterque ex animo nobis evelli patimur; seu denique, ut ego mihi persuadeo, vis ipsa veri me continet, neque ad alienas partes transire permittit: dicam apertè me nondum illis, quas affers responsionibus eò adduci potuisse, ut aut priorem sententiam desererem, aut de ea saltem formidarem. Dissensus mei caussas, ut puto, probabiles tecum, V. Cl. bona fide communicabo; neque enim arbitror tibi grave futurum, si quis doctrinæ tuæ amicè contradixerit; neque perditam prorsus operam, si inter disceptationes nostras acciderit veritatem, quæ diù latere non potest, ex alterutra parte se se prodere, atque omni involucro deposito in medium prosilire. Itaque Anonymi, quisquis ille est, assertiones a te expensas ad verbum afferam; singulis illis singulas responsiones tuas adnectam; non iisdem ubique verbis, ne nimius sim, sed fideli sententiæ tuæ compendio. Denique dicam paucis quæ potissimùm adversus eas pro Anonymo reponi posse videantur.

 I. Ass-

I. Assertio Anonymi.

In Tabula Festorum mobilium libro expositionis Calendarii inserta, de qua desumuntur ea, quæ Breviario Romano inseruntur, ad annum 1700. Epacta inscribitur IX., Plenilunium medium die 4. Aprilis h.11., Luna XIV[a] die 4. Aprilis, Pascha 11. Aprilis.

Responsio tua eam solummodò assertionis partem respicit, quæ habet, ex Tabula Festorum mobilium libro expositionis Calendarii inserta desumi eas, quæ Breviario Romano inseruntur. Falsum hoc esse ais; Festa enim mobilia inserta Breviario edito anno 1583. desumi non potuisse ex Tabula, edita unà cum libro expositionis anno 1603.

Verùm si mentem Anonymi ex verbis ejus satis, nisi fallor, apertis æstimare liceat, non ille agit de Festis, quæ quondam Breviario inserta sunt, in prima scilicet ejus editione anno 1583., at de iis quæ Breviario inseruntur, dum in dies novis editionibus Breviarii usus ad alios, atque alios annos extenditur. Cum enim Festorum mobilium Tabula perpetua esse non possit, sed temporaria; qui hujusmodi librorum ad Rem Divinam spectantium impressiones curant, in illis ad viginti, triginta, aut plures, paucioresve annos ab editione libri proximè succedentes Festa mobilia describunt, omissis annis retro elapsis, qui in anterioribus editionibus describebantur. Itaque nullum hìc video inconveniens, si in Breviario anno ex.gr. 1704. impresso, Festorum mobilium ratio ex libro expositionis anno 1603. evulgato sumi dicatur. Planè verba illa Anonymi non de præterito, sed de præsenti concepta: *Sumuntur*, *inseruntur*, non aliam esse ejus mentem satis declarant. Non ergo Breviarii nomine intelligendum videbatur illud, quod anno 1583. editum est, ut videlicet Anonymi sententia Anacronismi statim imputaretur.

Urges tamen: Festa mobilia, tàm in editis, quàm in edendis Breviariis non aliunde sumpta fuisse, aut sumi posse quàm ex Tabula perpetua Paschali inserta Calendario Gregoriano Romæ edito anno 1582. hoc enim definitum fuisse a Gregorio in Bulla reformationis, ubi habet. *In qua descriptæ sunt etiam Tabulæ Paschales juxta priscum Ecclesiæ ritum, quò certiùs, & faciliùs Sacrosanctum Pascha inveniri possit:* & clariùs in Canone 6. Calendarii. *Utrique Tabulæ Paschali generali præposita est Tabula Temporaria multorum annorum, e regione quorum omnia Festa mobilia dicto citiùs inveniuntur, quæ quidèm Tabula ex Tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque Annis*, & hæc decreta inveniri in ipsius Breviarii Romani initio, ubi de Festis mobilibus agitur.

Sed quomodo allata, aut Bullæ Gregorianæ, aut Canonum Calendarii, verba decretum aliquod continere dicenda sint, planè non video; neque aliud prorsus significant, si benè perpendantur, quàm Tabulas illas Calendario insertas inservire posse ad Festa mobilia facilè elicienda, quod utique verissimum est, at non excludit quin liberum cuique sit ex aliis etiam Tabulis præter illas, dummodo ab Ecclesia approbatis, vel aliqua alia ratione ab ipsis Calendarii regulis insinuata absque ullis Tabulis, eadem Festa deducere. Non enim ait Gregorius jubere se ut ex Tabulis Calendario insertis, & non aliunde, Festa mobi-

mobilia colligantur. Tantùm ait ex iis Tabulis Pascha *dicto citius inveniri*, easque idcirco appositas, ut illud *certiùs ac faciliùs inveniri possit*, & ex illis *posse* etiam *alias Tabulas extrui*, *quæ in perpetuum deserviant*. Addam etiam tantùm abesse ut ex illis Tabulis Pascha semper inveniri debeat, ut imò inveniri ex illis sine aliarum ope jam non possit post annum 1631. Tres enim tantùm sunt illæ Tabulæ. Prima Temporaria, quæ ultra dictum annum 1631. non extenditur. Reliquæ duæ perpetuæ, sed quæ ad inventionem diei Paschalis non sufficiant, nisi ex alia Tabula Epactam anni currentis deduxeris; qua cognita, potes etiam absque illis Tabulis per eundem Canonem 6. Calendarii Paschæ diem inquirere. Inconvenientem ergo sensum Gregorii verbis affingimus, si ita interpretemur, ut velit Pascha semper deduci ex ejusmodi Tabulis, quarum altera semper non est usui, reliquæ vel insufficientes, vel absolutè superfluæ esse possunt. Ex adverso Tabula ab Anonymo memorata ad hunc usum sufficientissima est, facillima, & copiosissima, cum usque ad annum Christi 5000. protrahatur. Et durum profectò dictu videtur peccare nos in mentem Gregorii, si Festa mobilia deducamus ex Tabula inserta libro expositionis Calendarii, quem Clavius, unus ex VIIIviris Gregorianæ reformationis suasoribus, iisdemque Tabularum Paschalium Calendario adjunctarum Auctoribus, jussu Clementis VIII. composuit; quem ipse Clemens sanctione sua ad calcem tuarum responsionum impressa comprobavit.

Sed videlicet ais in Tabulis Paschalibus tàm Perpetuis quàm Temporariis, quæ extant, & fuerunt in Ecclesia, & apud SS. PP. in usu, tàm ante, quàm post Concilium Nicænum, nunquam inveniri Plenilunia Media, aut vera; unde patentissimè errare qui dicat Festa Mobilia desumi ex ea Tabula, in qua notentur Plenilunia media.

Ego verò, V. Cl. ut interim concedam quod examinare non vacat, non fuisse antea in usu Paschalibus Tabulis Pleniluniorum, aut Noviluniorum tempora adscribere, non video tamen Clavii Tabulam idcirco minus Paschalem, aut ad invenienda Festa Mobilia minus idoneam censendam esse, quòd præter Epactas, Literas Dominicales, Aureos Numeros, & Festa ipsa, contineat etiam tempora, quibus Paschalia Plenilunia celebrantur. Imò eò aptiorem, præstantioremque crediderim quòd demonstret Paschales dies quotannis adnotatos, non solùm cum Ecclesiæ instituto, sed etiam cum Astronomicis Numeris perbellè consentire. Certè Clavius, cujus anctoritati meritò plurimùm tribuis, visus est in ea Tabula construenda omnem operis sui fructum posuisse, neque scio quæ Tabula ad Mobilium Festorum indictionem tuta censeri possit, si hæc a tanto viro supputata, Pontificum jussibus edita, diplomatibus confirmata, idonea non censeatur, ut ex ea Festa Mobilia in Romanum Breviarium referantur.

Sed diutiùs fortè quàm par erat in hac prima Anonymi Assertione moratus sum. Parum enim denique refert undecumque Romani Breviarii Festa desumpta sint, dummodo Clavii Tabula eos numeros exhibeat, quos Anonymus protulit, & aliàs Breviarium Romanum in indicendo Paschali die cum hac Tabula conformetur.

II. Ass.

II. Assertio Anonymi.

Hoc Pascha rectè videbatur determinatum, cum meridies Lunæ xiv., quæ diem Dominicum Paschæ debet præcedere, Plenilunium medium supponeretur præcedere horis aliquot, quod usui Ecclesiæ a SS. PP. servato, rationique Astronomicæ, qua Plenilunium xiv^{a} succedit, consentaneum est.

RESpondes non idcircò rectè determinatàm censendam esse Paschalem solemnitatem, quod xiv^{a} Paschalis aliquot horis præcedat Plenilunium a Clavio supputatum: posse enim Pascha esse legitimum etiamsi xiv^{a} Paschalis Plenilunium subsequeretur. Neque ullibi præceptum hoc àdeo rigorosum reperiri: xiv^{as} Paschales debere necessariò præcedere Plenilunium medium. Itaque justum Paschalis diei criterium, quo dignoscitur, ritè determinatus fuerit, nec ne, non esse Plenilunium, aut Mediorum motuum tricas (teste etiam *Petavio de Doct. Temp. lib.* 5. *cap.* 15.) Sed Cyclos, olim quidèm Aurei Numeri, nunc verò Epactarum. Hanc esse Ecclesiæ praxim, hunc usum a SS. PP. servatum, qui nullo jure repugnante per 1000. & amplius annos Cyclorum naturam sequuti xiv^{as} Paschales habuerunt interdùm uno, interdùm pluribus diebus post Plenilunia succedentes. In omni enim Cyclo inevitabile hoc esse, ut quandoque xiv^{a} non solùm Plenilunia non antevertat, sed ea aliquo tempore subsequatur; & hoc præsertim in Epactis digerendis data opera quæsitum fuisse, ut scilicet contingat Pascha in xiv^{a} vel ante xiv^{am} celebrari.

Verùm, nisi mea me fallit opinio, non tàm intendebat Anonymus Assertione ista Paschalis diem, quàm Epactam, a qua ille deducitur, in examen vocare; neque asserit Pascha post Cyclos ab Ecclesia constitutos, tunc esse legitimum, cùm xiv^{a} Cyclaris aliquot horis Plenilunium præcedit; sed significat Cyclum ipsum tunc esse accuratum, cum hanc conditionem observat, quo tamen ipso non negat etiam ex Cyclo minus accurato, qui ab Ecclesiá probatus sit, ritè Pascha celebrari. Ergo duplicem habet significationem hæc interrogatio: an Pascha anno 1700. ritè celebratum sit die 11. Aprilis. Prima est: an celebratum sit congruenter ad Cyclum Epactarum, quo tanquam Paschali regula utimur. Et in hoc quidèm nulla est difficultas; cum enim prima Dominica post xiv^{am} Cycli celebratum sit, utique legitimo tempore celebratum est: Altera: an Pascha indictum anno 1700. d. 11. Aprilis conveniat Ecclesiæ instituto antiquissimo, Pontificum, & Conciliorum Canonibus etiam ante Nicænam Synodum, atque Aurei Numeri Cyclum confirmato, de celebrando Paschate primo die Dominico post xiv^{am} 1. Mensis; quæ regula, quantùm in se est, ipsum Cœleste Plenilunium, ac xiv^{am} Lunæ in Cœlo diem respicit, & ab usu, vel non usu Cycli præscindit; quæ significatio idem sonat, ac si dixeris: an Cyclus Epactarum, qui anno 1700. Lunam xiv^{am} d. 4. Aprilis exhibuit, hoc anno Cœlo conformetur. Quod si ergo hoc quæratur, statuit Anonymus Assertione hac II. pulchrè utique Cyclum Cœlo respondere, supposito Plenilunio d. 4. Aprilis; xiv^{a} enim Cycli horis aliquot Plenilunium Cœleste præcessit, & cum xiv^{a} Cœlesti ferè conspiravit; nec tamen propterea negat, si fortè Cyclus a Cœlo dissensisset, Pascha legitimum futurum fuisse, sed significat Cyclum ipsum

futu-

futurum tunc fuisse minus legitimum ; aut pravè usurpatum , & , si sæpiusculè in hoc peccasset , atque ita summo Pontifici videretur , corrigendum . Itaque concedit Anonymus Pascha legitimum esse , etiamsi xiva Cycli ab Ecclesia probati Plenilunium non præcedat , sed subsequatur ; concedit medios motus non esse justum Paschalis diei criterium , sed Cyclos ; & in his, saltem prout hactenus usurpati sunt , necessitatem agnoscit , ut interdùm xiva Pleniluniis postponantur (nam quantùm ad Epactas data opera ita digestas ut Lunationes tardiùs monstrent ad concursum Paschæ cum xiva evitandum, an id operæpretium fuerit infra considerabimus) sed si denique de hoc ipso Cyclo examinando agatur , ait tunc Cyclum esse accuratum , cum xiva ejus Plenilunium aliquibus horis antevertit . Planè si quis ante Gregorianam reformationem , ut anno 1579. quæsiisset an Pascha illius anni ritè indictum esset d. 19. Aprilis : respondisset verò aliquis, utique ritè esse indictum , quia juxta Cyclum Aurei Numeri tunc usurpatum , xiva Paschalis in d. 13. Aprilis incidebat , unde d. 19. qui Dominicus erat a xiva primus , ad Paschalem celebritatem erat eligendus ; ille quidèm supposita Cycli perfectione , atque Ecclesiæ usu rectè respondisset. Sed profectò hoc ipsum erat quod quærebatur , an Cyclus Aurei Numeri accuratè, vel tolerabilitèr saltèm Cœlo consentiret, quod cum plerisque annis non contingeret , Gregorium movit ut Calendarii emendationem moliretur . Statuendum ergo est criterium aliquod, ad quod Cycli expendantur , & hoc nullum aliud esse potest , quàm Cœlestes motus ; & qui respondeat Paschales solemnitates ritè indictas esse , quia juxta Cyclum indictæ sunt , ipsum supponat de quo dubitatur . Certè in Chirographo a te edito , quod Curatores Calendarii anno 1580. Summo Pontifici obtulerunt , disertè profitentur se examinasse Epactarum Cyclum ad Pleniluniorum Paschalium inventionem annos ferè 3000. ; & Cyclum rectè Plenilunia indicantem agnovisse ; & Clavius ipse in Libro Expositionis Calendarii , quantùm potuit , vel posse se credidit , Epactarum cum Cœlestibus motibus conformitatem sectatus est , agnoscens in hoc consensu Cycli perfectionem positam esse .

Cum autem in hac Asertione dixisset Anonymus usum Ecclesiæ a SS. PP. servatum hunc esse : ut Meridies Lunæ xivæ Plenilunium medium præcedat; id tu ita interpretaris , quasi ille velit SS. PP. non Cyclum ullum , sed Cœleste Plenilunium & Cœlestem xivam spectasse, ut ex his Paschæ diem elicerent . Sed planè non potest verbis Anonymi hæc affingi interpretatio, nisi velimus ea ineptissimum hunc sensum habere , *quòd usus SS. PP. fuerit , ut xiva Cœlestis præcederet Plenilunium Cœleste aliquot horis* . Itaque nil aliud Anonymus intendit , quàm SS.PP. ita Cyclos suos temperasse, ut xiva Cycli Plenilunium Cœleste aliquo tempore præcederet , seu , quod idem est , cum xiva Cœlesti consentiret , quod & Astronomicæ rationi consentaneum esse constat , & a SS. PP. verè factum fuisse infrà demonstrabimus.

III. Assertio Anonymi.

Verùm ex Tabulis Astronomicis Epactarum eidem Libro insertis, quæ cum Tabulis præstantissimorum Astronomorum ad meridianum Romæ veteri stylo supputatis, intrà horæ quadrantem consentiunt; hoc Plenilunium medium, reductione ad novum stylum rectè instituta, supputatur die 3. Aprilis, hora 11. post meridiem, quo die etiam vulgatæ Ephemerides exhibent Plenilunium medium.

Respondes Plenilunium medium Ecclesiasticum anni 1700. hoc modo supputatum ab Anonymo ex Tabulis Astronomicis vulgaribus, nec non Plenilunia media Ecclesiastica cæterorum centesimorum communium, si ex iisdem eliciantur, supputari contra expressam mentem Gregorii XIII. & Clementis VIII. Hos enim Pontifices prohibuisse Epactarum mutationem fieri in Martio, ut supponitur in vulgari Calendario, atque in computis vulgaribus Astronomorum; & jussisse ut primo die Januarii facta censeretur, ut in secundo Calendarii Canone, & in Bulla Clementis VIII. Libro expositionis præfixa statutum est.

Torsit me multum, V. Cl. responsio hæc tua, ut germanum ejus sensum assequerer; in quo cum totius controversiæ summa posita esse videatur, operæpretium erit eum diligenter expendere. Et primùm illud mihi negotium facessit, quòd Plenilunio medio Ecclesiastici epitheton adjungis, quasi detur Plenilunium aliquod medium non Ecclesiasticum, aut quasi Plenilunium medium, quod ab omnibus ita appellatur, Ecclesiasticum potiùs quàm Astronomicum dicendum sit. Utrumque verò novum, atque inauditum mihi est; nam Plenilunium medium, hoc est tempus, quo juxta motus medios Luna Soli opponitur, unum idemque apud omnes semper fuit, neque Ecclesia nomine Plenilunii medii aliud quidquam præter hoc intellexit. Melius fortasse Plenilunium Ecclesiasticum dici potest xv[a] dies Lunæ juxta Cyclum; sed hoc denique Plenilunii medii nomen nullo pacto meretur; cum non fiat juxta medios motus, sed juxta fictam a nobis temporum distributionem, a [redacted] motibus Lunaribus sæpenumerò valde diversam. Sed fortasse ex iis, quæ sequuntur, quale tuum hoc sit Ecclesiasticum, mediumque Plenilunium intelligemus.

Ais ergo Gregorium XIII. & Clementem VIII. jussisse, ut Epactarum mutatio fieret ad ipsum Januarii, atque anni principium. Si hoc nihil aliud significet quam quòd Pontifices jusserint numerum Cycli Epactarum, quæ cuique anno conveniunt, & in Calendario quęrendæ sunt ad habendos eo anno Neomeniarum dies, mutari ipsis Calendis Januarii; itaut novo anno ineunte nova Epacta succedat rejecta veteri; vel, quod idem est, annum Cyclarem incipere simul cum anno Civili, atque Ecclesiastico die prima Januarii; propositio tua extra omnem controversiam est, sed quid contra Anonymi propositionem faciat intelligere non possum. Non enim video quomodo Astronomi huic decreto contrarientur in calculis Pleniluniorum, scilicet quomodo mutationem ullam Epactarum Cyclarium Martio potiùs quàm Januario incipiente factam supponant, qui Cyclum Epactarum in suis Pleniluniorum calculis

culis intactum prorsus relinquentes ; nec de eo quidquam cogitantes , Epactas tantùm Astronomicas, scilicet dies, horas, & minuta addunt , subducunt, & pro opportunitate eorum calculi tractant. Sin autem propositio tua quid aliud sonat , ut ex ejus apud te usu colligitur, nempe : Pontifices jussisse Epactas veras , quibus in calculis Pleniluniorum Astronomi utuntur , aliquo modo mutari Mense Januario , at neutiquam Martio , ut ab his fieri solet ; tunc & suppositum hoc : quòd videlicet Astronomi Mense Martio aliquo modo Epactas mutent , pace tua , ænigmaticum est ; & propositio ipsa penitus falsa , atque inaudita . Nusquàm enim neque Bulla Greg. XIII. neque Calendarii Canonibus, neque sæpiùs per te allegata sanctione Clem. VIII. aut alia quavis constitutione Ecclesiastica cautum est , ut post Gregorianam reformationem Astronomi computent Plenilunia media (etiamsi calculos instituant ad effectum Christiani Paschatis inveniendi) diverso modo ab eo , quem regulæ Astronomicæ postulant , & juxta quem aliàs calculus institueretur . Id tantùm novi quo ad hoc negotium Gregoriana correctio introduxit , ut ratio habenda sit dierum , qui ex anno usque ad tempus propositum adempti sunt , ad hoc ut tempora Noviluniorum per calculum inventa stylo , ut vocant, novo, seu Gregoriano exprimantur. Nullibi, inquam, quidquam aliud cautum est circa Astronomicos calculos ; neque planè fieri potest ut Sanctissimi Christianæ Reipublicæ Moderatores adeò mirabilem legem promulgaverint : Astronomos supputare in posterum Plenilunia ad dies diversos ab eo qui Astronomicis regulis convenit, hoc est ab eo , quo Plenilunia ipsa in Cœlo contingunt ; hoc enim idem perinde foret ac si jussissent Lunam deinc[illegible] implere ; Quæ lex cum illa quorundam apud barbaros Regum præsumptione comparanda videretur, qui cum primùm ad Regnum inaugurantur , Sacramento se se Populis obstringunt Solem quotidie super eos oriturum , atque anni tempora statas leges servatura . Sed profectò Romani Pontifices Neomenias equidem, & xiv^as^ fictitias Christiano Populo proponunt , ut ejus captui consulant , at non idcircò in Lunares motus, vel in calculos qui Lunaribus motibus conformes esse debent , quidquam juris sibi tribuunt . Vide ergo, V. Cl. quid Sanctissimis Pontificibus imputes , vide quàm alienam ab eorum sapientia mentem iis affingas , dum statuis Ecclesiam Romanam circa calculorum Astronomicorum rationem quidquam adversùs Astronomicas regulas decrevisse .

Profectò hoc ipsum , de quo agimus , Plenilunium medium , nemine refragante, accidit in cælis d. 3. Aprilis h. 11. p. m. & cum Anonymi cæterorumque Astronomorum calculo concordavit ; atque idem continget reliquis annis centesimis communibus, si juxta vulgatas regulas rationes subducantur , cum e contrà futurum semper sit, ut calculus juxta tuam sententiam , quam Ecclesiæ conformem esse dicis , institutus solido die seriùs Plenilunium repræsentet , quàm illud verè contingat . Peto igitur : vel Ecclesia aliquid decrevit quo ad calculos Astronomicos Pleniluniorum post correctionem , vel nihil . Si nihil , ergo etiam ex mente Ecclesiæ Plenilunium invenietur d. 3. Aprilis , ut Anonymus juxta vulgares regu-

las cœlo conformes supputavit . Si aliquid , planè nulla alia de causa id fecit , quàm ut Cyclos suos mediantibus calculis Astronomicis examinaret ; aliàs enim Ecclesia , te ipso fatente , de mediis motibus non est sollicita , cùm potiùs Cyclis pro Paschali regula utatur . Atqui ex calculis Pleniluniorum contra Astronomicas regulas deductis non habetur , ut dixi, verum illorum tempus, & nisi hoc habeatur, non possunt examinari Cycli , ut evidens est ; ergo si Ecclesia præcepit aliquid circa calculos Pleniluniorum , certè non præcepit ut supputarentur adversùs regulas Astronomicas . Quem enim usum poterat ex hoc percipere , aut quæ causa esse poterat ut hoc juberet ? Equidèm Cycli eò perfectiores reputantur quò cœlestibus motibus conformiores sunt . Propter hoc aureus Numerus est introductus, qui intra paucos annos accuratior est antiquorum Cyclis . Propter hoc idem Aureus Numerus a Greg. XIII. amotus , & Epactæ subrogatæ sunt , quæ si denique aliquando a Cœlo dissentiant , id tamen non data opera quæsitum est , sed data potius fuit opera (aut danda fuerat juxta Greg. mentem) ut quàm minimùm aberrarent ; & idcirco Clavius in Tabula æquationis Epactarum , quam ex Lilii sententia supputare se profitetur , ad annum 8200. adjecit Novilunia Tabulæ usque ad illud tempus bene cum Cœlo consentire (quod tamen quàm verum sit suo loco videbimus) in posterum verò corrigenda esse , quòd a motibus mediis recederent . Sed qua necessitate , aut quo operæpretio jubendum fuerit , ut etiam Calculi Astronomici , qui deniquè soli Epactarum errores identidem corrigere possunt, imò qui etiam ex mente summi Pontificis , saltem post multa sæcula , in consilium adhibendi sunt ad Epactarum æquationes ritè continuandas , in inquam calculi de industria falsi , mendosique nunc , præsertim in annis centesimis , quibus maximè oportuit eos legitimos esse; ego quidèm non video, neque hanc fuisse summorum Pontificum mentem in animum unquam inducam .

Certè si verba Canonis secundi , & Clementinæ Bullæ per te allegata expendamus , nihil reperiemus, quod ad Astronomicos calculos pertineat. Canon secundus Calendarii hæc habet: *quamvis vulgares Epactæ mutentur in Martio , re ipsa tamen principio anni mutandæ sunt , unà cum Aureo Numero , in cujus locum nostræ Epactæ succedunt* . Scilicet agitur in eo Canone de Cyclo Epactarum in locum Aurei Numeri substituendo, necnon de Epactis cuique anno assignandis per continuam additionem dierum 11. proponunturque Tabellæ , unde ipsæ sumi debeant , quæ ad diversa tempora diversæ sunt . Et quia ex trita regula , qua vulgus ad invenienda quolibet mense Novilunia uti consuevit (addendo nimirum tot dies ad Epactam ejus anni , quot menses a Martio ad mensem propositum elapsi sunt , summæque iterum dies currentes ejus Mensis adjiciendo) collocari videtur initium anni calendis Martii , & per duodecim Menses , nempe usque ad sequentem Martium eadem Epacta retinetur, quæ demùm recurrente Martio mutatur ; ne fortè quis crederet in Calendario Gregoriano Epactarum Cyclum a Martio incipere, declarat Canon ille initium ejus ab ipso Januario repetendum esse , & ita ineunte anno , veteri Epacta dimissa , novam eligendam , Martio non expectato . De calculis verò Astronomicis ab hoc negotio Epacta-

rum

rum Cyclarium longè disparatissimis, ne verbum quidèm facit. Multò minus de his agit Clementina Bulla, in qua cum Calendarium pseudogregorianum a Vieta introductum refutetur, traditur discrimen ejus a Gregoriano in hæc verba, *& a Gregoriano præter alia discernitur, quòd in illo ad 1. diem Januarii Epacta xxx. sive hoc signo * notata, sicut in Calendario habetur, non adscripta sit, ut in Gregoriano, annusque cum Epacta xxix. ab 8. d. Martii incipiat, quæ res inaudita est, & PP. Nicæni Concilii prorsus contraria*. Quæ sententia de Epactis Cyclaribus Calendario adscriptis expressè loquitur, non autem de Astronomicis.

Quod si saltem verum esset Astronomos in calculis Pleniluniorum subducendis, Epactarum, quas usurpant, mutationem aliquam facere initio Martii, itaut Clementis Bulla, quæ mutationem hanc initio Jannarii præcipit aliquo modo Epactis Astronomicis applicari, aut ad illas trahi posset; fortasse interpretatio tua paulò credibilior videretur. Sed quæ mutatio Epactarum initio Martii potius quàm Januarii ab Astronomis fiat, non intelligo; & idcircò suppositum hoc tuum ænigmaticum esse paulò ante professus sum. Certè Astronomi Plenilunia media computaturi, sive Martio, sive Januario, aut alio quovis mense, ubique Epactas annorum a Christo nato elapsorum colligunt; ubique Epocham Christi huic summæ superaddunt; ubique adjungunt illi Epactas mensium completorum; ubique demùm summam universam a revolutionibus Syzygiarum proximè majoribus subtrahunt, & id quod relinquitur est dies, hora, & scrupulus mensis propositi, quo Novilunium contingit stylo tamen Juliano; quare additis diebus quibus Calendarium hoc a Gregoriano tunc discrepat, habent tempus Novilunii stylo Gregoriano, & superadjecta denique dimidia Lunatione media conflant Plenilunii tempus stylo pariter Gregoriano. Hoc, inquam, perpetuò faciunt sive Januarii, sive Martii, aut alterius cujuslibet Mensis Plenilunia inquirant; nisi quod pro Martio Epactas Februarii completi in calculo usurpant, pro Januario autem Epactas Mensium nullas, quia videlicet nullus mensis completus est; quod equidem vocari potest Epactarum mutatio, sed quæ non magis Martio, quàm Januario aut alio quovis Mense fiat.

Contingit equidèm interdùm, nempè in annis centesimis communibus, & contigit novissimè in anno, de quo loquimur 1700., ut in reductione illa Noviluniorum ad stylum Gregorianum, dierum addendorum numerus alius sit in Noviluniis priorùm duorum anni mensium, alius in Martio, & sequentibus; quia videlicet, propter diem intercalarem in fine Februarii prætermissum, differentia inter Julianum, & Gregorianum Calendarium ineunte Martio uno die succrevit; sed an hæc dicenda sit Epactarum mutatio, ut verba Clementinæ Bullæ huc trahantur; provoco ad Astronomos omnes, imò ad te ipsum, vir Cl. dummodò candidè, pacatèque solius veritatis studio id recogites. Planè non illa Epactarum, seu Lunaris ætatis mutatio est, quæ eadem manet, manente scilicet Luna in ipso semper Novilunii articulo, sed est mutatio reductionis a stylo Juliano ad Gregorianum, quæ menti Summorum Pontificum adeò non repugnat, ut eorum jussu, atque auctoritate, non ab Astronomis tantùm, sed ab omnibus Catholicis post Gregorianam emendationem facienda sit; neque antea facienda quàm ad finem Februarii,

quia locus intercalationis, ratione cujus reductio illa variatur, non in initium anni, aut finem antecedentis, sed in finem Februarii incidit. Nisi ergo ostenderis summos Pontifices voluisse reductionem temporis Juliani ad Gregorianum, quoties ex rei natura diversa est post Februarium ab ea, quæ duobus prioribus anni mensibus viguit, fieri nihilominus in Calculis Astronomicis initio anni, eodem modo, quo post Februarium fieret (quòd non ostendes) nunquàm Anonymi calculum Ecclesiasticis constitutionibus adversari demonstrabis; cùm allegata per te diplomata de reductionis istius mutatione nihil dicant, sed de mutatione tantùm Epactarum, quæ nulla hìc est, verba faciant.

Quia tamen hæc qualiscumque variatio illa ipsa est, quam Epactarum mutationem vocas, & ad initium anni fieri debere contendis, non expectato cum Astronomis Martio (ut colligitur ex iis, quæ infra ad hanc, & sequentem Assertionem habes) non committam ut hìc meram logomachiam instituisse videar, sed argumentum tuum expendam, quod hujusmodi verbis a te proponitur. *Facta igitur hac hypothesi, evidenter deducitur, quòd in computo Novilunii mensis Januarii Anni* 1700. *non solùm addendi sunt dies* 10. *ablati propter æquationem Solis, sicut in annis præcedentibus, sed* 11. *propter diem ablatum ab anno* 1700. *Ob eandem causam æquationis Solis, Novilunio, & Plenilunio Martii, additur insuper unitas pro die Februarii, qui secundùm hanc hypothesim, & computum Ecclesiasticum Gregorianum mutationis Epactæ in principio Januarii, quæ minuitur unitate ob diem hoc anno* 1700. *ablatum ab anno solari, continebit dies* 29. *in anno Ecclesiastico Lunæ: Quoniam certissima ratio est, diem ablatum ab anno* 1700. *in computo Ecclesiastico Epactarum medii motus Lunæ addendum esse, ubi facta est mutatio in Kalendario; at in computo Paschali anni* 1700. *Epacta mutatur in Kalendario ob ablationem unius diei anni Solaris Mense Januarii, secundùm usum Ecclesiæ, & SS.PP. Igitur Mense Januarii restituendus est dies in computo Epactarum, quibus mediantibus inveniuntur Plenilunia, & Novilunia media Lunæ anni* 1700. *Hæc ratio est eadem in omnibus centesimis non bissextilibus.*

Deinde calculum affers tàm juxta tuam, quàm juxta Anonymi methodum hoc modo.

Calculus juxta te, & Clavium.

	D.	H.	′.	″.
Anni 1600.	19.	2.	36.	7
99.	13.	13.	19.	11
Radix Christi	16.	18.	12.	30
Summa	49.	10.	7.	48
Numerus conjunctionum	59.	1.	28.	6
Novilunium Januarii Cal. Juliani	9.	15.	20.	18
Dies ablati	11.			
Novil. Jan. reductum ad Cal. Eccl. Greg.	20.	15.	20.	18

Duo-

Duorum Mensium Lunarium Summa	59. 1. 28. 6
Summa	79. 16. 48. 24
Dies Calendarii duorum Mensium	59.
Residuum	20. 16. 48. 24
Dimidium Mensis Lunaris	14. 18. 22. 1
Summa	35. 11. 10. 25
Dies Martii	31.
Plenilunium Martii *Aprilis*	4. 11. 10. 25

Secundùm computum Ecclesiasticum Gregorianum.

Calculus juxta Anonymum atque vulgarem Astronomiam.

	D. H. ' ".
Novil. Jan. sec. Cal. Julian. anni 1700.	9. 15. 20. 18
Dies ablati anno Juliano	10.
Novil. Jan. reduct. ad Cal. Vulg.	19. 15. 20. 18
Duorum Mensium Lunarium Summa	59. 1. 28. 6
Summa	78. 16. 48. 24
Dies Cal. duorum Mensium Jan. & Feb.	59.
Novil. Martii 1700.	19. 16. 48. 24
Dimidius Mensis Lunaris	14. 18. 22. 1
Summa	34. 11. 10. 25
Dies Martii	31.
Plenil. Martii 1700. *Aprilis*	3. 11. 10. 25

Secundùm Computum Censoris & Astronomorum qui mutant Epactam 1. *Martii.*

Respondeo ad argumentum negando quòd *in computo Novilunii Januarii anni* 1700. *non solùm sint addendi dies* 10. *ablati propter æquationem Solis sicut in annis præcedentibus*, *sed* 11. *propter diem ablatum ab anno* 1700. Non sunt, inquam, quantùm ex rei natura est, addendi d. 11. pro computo Novilunii Mensis Januarii, quia Mense Januario nondum ablatus est alius dies anno 1700. præter illos 10. qui ablati fuerant annis præcedentibus. Sed tu, ut arbitror, id agnoscis, & in Pontificia tantùm constitutione vim facis. Itaque instas : etsi dies ablatus non est initio Januarii, jubere tamen S. Pontificem ejus additionem fieri in calculo Plenilunii, cum jubeat Epactas mutari initio Januarii, nam, ut supra dixi, dierum addendorum mutationem cum Epactarum mutatione idem facis. Concedamus ergo hoc, etsi falsum esse supra ostendi ; & ut interpretationem tuam Pontificiæ mentis sequamur, fiat additio d. 11. initio Januarii. Sed quid deinde iterum postulas, ut *ob eandem causam æquationis Solis*,

lis , Novilunio , & Plenilunio Martii addatur insuper unitas pro die Februarii , qui secundùm banc hypothesim , & computum Ecclesiasticum Gregorianum mutationis Epactæ initio Januarii , quæ minuitur unitate ob diem hoc anno 1700. *ablatum ab anno Solari , continebit d.* 29. *in anno Ecclesiastico Lunæ* ? Non ne semel Pontificis mens juxta interpretationem tuam adimpleta est addendo 11. d. initio Januarii ? Cur ergo *ob eandem causam* alium diem adjici jubes? Planè si vel maximè Pontifex præcepisset ut in computis Pleniluniorum anni 1700. adderentur 11. d. etiam ante locum intercalationis (a quo mentem ejus alienissimam esse supra ostendi) sed si hoc denique præcepisset, quis non videt nullam propterea diversitatem oriri debere in calculis Pleniluniorum post Februarium ? Nam cum illa diei unius præter decem additio alicubi demum facienda sit in Pleniluniis post Februarium , sive ea sub initium calculi fiat , dum Januarii Novilunium computatur, sive paulò post, nempè elicito jam Martii Novilunio , summa nullatenus variari debet . Cùm ergo, hoc non obstante, calculus tuus Plenilunium una die promoveat, evidens est hoc non pondere ex additione illius diei præter decem, quam Epactarum mutationem vocas , facta potius initio Martii , quàm Januarii , sed ex additione adhuc alterius diei , absque ullo titulo, ut dixi, a te facta.

Id quod multo evidentius fiet, si ipse calculus tuus cum Astronomico vulgari comparetur . Nam in utroque summam dierum , qui primis duobus anni mensibus continentur, facis d.59. sumendo scilicet Februarium bissextilem Juliano more ; quod utique in calculo Astronomico vulgari jure factum est , ut scilicet hoc pacto dies unus computo adjiciatur , cum decem tantùm additi ab initio essent ; sed in eo , quem cum Clavio approbas , & Ecclesiasticum vocas , minimè fieri debuit , quandoquidem additio d.11. semel ab initio facta erat . Ex quibus perspicuum est te non modò Pontificiam mentem ab Epactis Cyclaribus ad Astronomicas trahere ; non modò incrementum reductionis Juliani ad Gregorianum annum improprio nomine appellare Epactarum mutationem ; sed etiam postulare , ut hæc mutatio bis locum habeat , cum aliàs si semel tantùm , utcumque initio Januarii , fieret , Plenilunia post Februarium nullatenus variatura esset, sed tantùm ea , quæ duobus prioribus mensibus anni contingunt.

Sed quoniam distinctionem illam inter Astronomicas , seu veras , & Civiles , seu Ecclesiasticas , aut Cyclares Epactas , quam supra tradidi , quæque præcipua in hoc negotio est, præoccupasse tibi videris ; instantiam, quam adversùs eam proponis, expendamus. Ita ergo respondes : *nec valet dicere Epactam veram anni* 1700. *& reliquorum* 100*merum* *non bissextilium in Kalendario Gregoriano non mutari. Nam ex calculo ab ipso Censore exposito, vera Epacta deducta ex Pleniluniis mediis Paschalibus anni* 1699. *& anni* 1700. *est d.*10. *h.*15. ; *si verò annus* 1700. *esset bissextilis secundùm Censoris calculum , & aliorum Astronomorum , Martii Plenilunium medium esset d.*2. *h.*11. *Aprilis, cum dies ablati tunc solùm essent* 10. *unde si sumatur Plenilunium medium Paschale anni præcedentis* 1699. *quod supponitur rectè supputatum ab ipso Censore d. Aprilis* 14. *h.*2. *differentia istorum Pleniluniorum erit d.*11. *h.*15. *quæ erit Epacta vera anni* 1700. *in comparatione ad annum* 1699. *si annus* 1700. *supponeretur bissextilis , ac per ablationem unius diei a Kalendario Epacta vera inter hos annos est d.*10. *h.*15. *per calculum expositum a Censore . Unde*

certum

certum est Epactam veram mutatam fuisse etiam per calculum vulgarem, contra hypothesim Gregorianam, & confirmatam a Clem. VIII., qua expressè prohibetur Epactæ mutationem fieri 1. Martii, ut in vulgari Kalendario, aut octavo ejusdem Mensis, ut Vieta in suo falso Kalendario Gregoriano, & statim die 1. Januarii fieri præcipitur &c.

Ubi nomine Epactæ veræ anni 1700. jam non intelligis ætatem veram Lunæ ineunte anno 1700. juxta motus medios, ut ab aliis intelligi solet, sed illud potius, quod alii vocarent differentiam vel incrementum Epactæ, aut ætatis Lunæ quolibet die anni 1700. supra correspondentem diem anni 1699. quare hìc etiam minus propriè Epactæ nomen usurpas, ut Clementinæ Bullæ, & Canonum Calendarii verba in tuam sententiam detorqueas. Verùm ne sic quidem, nisi fallor, id quod intendis effici potest: Nam (ut omittam directam præcipuamque responsionem supra traditam, videlicet prædictos Canones nunquam de Epactis Astronomicis, sed semper de Civilibus loqui) peto a te, V. Cl., an Anonymus assumens pro incremento Epactæ veræ ab anno 1699. ad 1700. in Plenilunio Aprilis numerum illum d. 10. h. 15. benè, an malè computet juxta mentem summorum Pontificum? Si benè, ergo etiam ex mente eorum Plenilunium cadet in d. 3. Aprilis h. 11. ut ipse contendit. Si malè, oportet ergo eum mutationem aliquam hujus Epactæ fecisse Martio potiùs quàm Januario, quandoquidem hoc unum est quod Pontifices in Canonibus per te allegatis fieri prohibent. Videamus ergo an hoc fecerit. Concedit Anonymus (te ipso fatente) Plen. Aprilis 1699. incidere in d. 14. h. 2. cum Clavio. Ergo admittit Plenilunium Februarii ejusdem anni d. 14. h. 1. ut ex Tabulis revolutionum Syzygiarum evidens est. Præterea statuit Novilunium Januarii anni 1700. d. 19. h. 15. (ut ex calculo quem tu juxta ejus sententiam proponis) unde Plenilunium Februarii 1700. incidet juxta eum in d. 3. h. 10. Denique Plenilunium Aprilis 1700. collocat adversùs Clavium ad d. 3. h. 11. Jam ergo juxta Anonymum.

1699. Plen.m Feb. d. 14. h. 1. } Differentia d. 10. h. 15. quam vocas Epactam
1700. Plen.m Feb. d. 3. h. 10. } veram anni 1700.

1699. Plen.m Aprilis d. 14. h. 2. } Differentia d. 10. h. 15. quam vocas Epactam
1700. Plen.m Aprilis d. 3. h. 11. } veram anni 1700.

Ubi ergo est Epactarum mutatio ab Anonymo facta potius post Martium quàm ante, quam Pontificiis decretis adversari contendebas? Video differentiam illam, seu Epactæ incrementum, quod tu Epactam vocas, tàm ante Martium, quàm post fieri ab eo ubique eandem, scilicet d. 10. h. 15. Si ergo vel maximè de hac Epacta Canones illi loquerentur, nullius maleficii ex hoc capite Anonymus coargui posset.

Quod si denique dixeris Epactam illam, seu differentiam d. 10. h. 15. erroneam esse, & loco ejus sumendam fuisse differentiam tantùm d. 9. h. 15., quanta ex tuis Pleniluniis invicem comparatis colligitur, & in hoc scilicet mutationem Epactæ ab Anonymo factam consistere, petam a te an illam erroneam voces, quatenus contrariam regulis Astronomicis, an quatenus contra-

trariam Pontificiis constitutionibus? Si primum, ergo tibi ipsi repugnas, qui discertè pluribus in locis statuisti Anonymi calculos factos esse juxta vulgarem Astronomiam; & profectò Epacta unius anni communis apud omnes admissa, est d.10. h.15., cum illa a te prolata d.9. h.15. nova sit, ac mirabilis. Si secundum, petam iterum quænam Pontificiæ constitutiones jusserint ab anno 1699. ad 1700. Epactam succrescere non d.10. h.15., sed d.9. h.15., nam constitutiones hactenus a te allatæ hoc non dicunt, sed ad summùm Epactam Januario mutari jubent, Martio prohibent. Quòd si hæc legitimæ Epactæ pro illegitima electio mutatio tibi videtur, non illa sanè est, de qua decreta Pontificia loquuntur, utpote quæ non magis Martio, quàm Januario facta fuit, ut demonstravi.

Denique totam hanc doctrinam testimonio luculentissimo, atque irrefragabili claudam. Extat in Vaticana Bibliotheca Codex M. S. a Carolo Octavio Lauro anno 1575. Gregorio XIII. exhibitus hoc titulo: *Calendarii temporum, & SS. Festivitatum restitutio, & correctio jussu Greg. XIII. Pont. Opt. Max.*, quem inter scripta innumera occasione correctionis in illis Congregationibus producta delitescentem, eruit non ita pridem Illustrissimus Abbas Zaccagnius ejusdem Bibliothecæ Custos, ac penes eum vidit Illustrissimus Blanchinus, qui pro humanitate sua rei summam, quantùm ad hoc negotium pertinet, mihi communicavit. In eo itaque supponitur correctio anni juxta Gregorii placitum, detractis 10. d.; supponitur annus 1700. communis, cum unica litera Dominicali notetur in Tabula mox memoranda; supponitur Epactarum Cyclus a Lilio excogitatus, licet in Calendario, neque prorsus Liliano, neque prorsus Gregoriano more describatur, quod tamen ad præsentem rem nihil facit. Denique Cyclus a Calendis Januarii Gregoriana forma ordinatur, quare Epactæ ineunte Januario mutandæ sunt. Hisce tamen non obstantibus Tabulam profert ille auctor Noviluniorum, & Paschatum usque ad annum 8568. in qua hæc habet

Anni	Lun. Martii			Lit. Dom.	Pascha	
	d.	h.	'			
1700	19.	4.	58	C	Ap.	4
1701	8.	13.	47	B	Mar.	27
1702	27.	11.	20	A	Ap.	16
1703	16.	20.	9	G	Ap.	1
1704	5.	4.	56	F E	Ap.	20
1705	24.	2.	29	D	Ap.	12
1706	13.	11.	18	C	Mar.	28
1707	2.	20.	7	B	Ap.	17

Novilunium ergo Martii 1700. incidit juxta eum in d.19. h.4.' 58. additis ergo d.14.h.18.' 22. quæ est dimidia Lunatio, fit summa d.33.h.23.' 20. Et cum ho-

ræ a media nocte computentur, additis h.12. fiet summa d. 34. h.11.' 20. scilicet d. 3. Aprilis h. 11.' 20. En ergo quomodo Plenilunium 1700. etiam juxta Gregorianam, & Lilianam hypothesim incidat in illud tempus, quod Anonymus determinavit. Cæterùm apud Clavium altum ubique de hoc libro silentium.

Sed videlicet hæc mihi prolixiùs dicenda fuere pro Anonymo: quandoquidèm unum hoc erat ex præcipuis responsionis tuæ capitibus. Maneat ergo Plenilunium Aprilis 1700. accidisse d. 3. h. 11. p. m. ad Meridianum Romę juxta Astronomicas regulas, adversùs quas Pontificia decreta nullatenus allegari possunt, non autem d. 4. h. 11. ut tu cum Clavio supputaveras; idemque valet de reliquis 100.mis non bissextilibus.

IV. Assertio Anonymi.

Qua ergo ratione assumebatur in XIV.m Paschalem d. 4. Aprilis, assumenda esset in XIV.m Paschalem d. 3. Aprilis. Hæc enim in Sabbathum incidens juxta hodiernam Ecclesię consuetudinem Paschæ diem indicat die sequenti Dominica 4. Aprilis.

RESpondes neque ex Plenilunio medio supputato juxta hypothesim Gregorianam, neque ex Epacta Calendarii anni 1700. deduci XIV.m Paschalem incidere in diem Sabbathi 3. Aprilis, allegasque huc ea, quę in responsione ad III. Assertionem proposueras.

Sed quo ad Plenilunium medium, supra ostendimus in quem diem incidat, neque ullum discrimen invenimus inter Plenilunium medium Ecclesiasticum, & vulgare Astronomicum, cùm Ecclesia nihil circa computos Astronomicos unquam statuerit, neque statuere cogitaverit, nisi ut ritè legitimèque juxta Astronomicas regulas instituantur. Quo ad Epactam verò Calendarii anni 1700. cum ea sit IX., fateor XIV.m non exhiberi d. 3. sed d. 4. Aprilis, & idcirco, attenta Calendarii Epacta, Pascha ritè dilatum esse ad d. 11. Aprilis. Sed de hac ipsa Calendarii Epacta examinanda quęstio hìc est.

V. Assertio Anonymi.

Reverà per Tabellam Epactarum insertam compendio a Greg. XIII. P. M. ad Christianos Principes, & ad celeberrimas quasque Academias misso, quod eidem libro expositionis pręfigitur, Epacta anni 1700. educitur 10. undè infertur Luna decima quarta die 3. Aprilis; Pascha die 4. Aprilis.

RESpondes Tabellas Epactarum compendio Calendarii insertas in melius videlicet mutatas fuisse. Quę enim inseruntur Calendario Gregoriano, supponere ęquationis Lunaris radicem sęculo Dionysii Exigui, quo tempore XIV.æ per Numeros Aureos inventę nunquam distabant per 2. d. a Pleniluniis mediis, sicut sęculo Concilii Nicęni. Tabellas porrò Epactarum compendii, licet errorem posticipationis XIV.æ Paschalis a Pleniluniis

 mediis

mediis evitaverint, attamen majus peccatum anticipationis non emendasse, quod est celebrare Sanctum Pascha sæpiùs in XIV.ª cum Judæis, & Quartadecimanis. Et Gregorianas quidem Tabellas Epactarum, atque universam Calendarii expositionem Clavianam a Catholica Ecclesia, & præsertim a Clemente VIII. approbatam fuisse; cætera verò Calendaria omnia edita, vel edenda, cæteras Epactas, atque adeò ipsas compendii Tabellas prohibitas, neque ex his Paschalium celebritatum normam esse desumendam.

Verùm non video quid hæc faciant ad Assertionem Anonymi, qua hoc tantùm statuit: per Epactas compendii eandem offerri XIV.m & Paschæ diem, quam mediorum motuum calculus poscit; quod quidèm extra omnem controversiam est. Cum enim calculus Astronomicus exhibeat ex supra ostensis XIV.m Paschalem d. 3. Aprilis, Pascha d. 4., Tabella compendii sub Aureo Numero 10. qui anno 1700. congruebat, exhibet Epactam X. quæ in Calendario tàm juxta Lilianam, quàm juxta Gregorianam formam digesto, adscripta est diei 21. Martii. Numeratis ergo deorsum 13.d., incidet XIV.ª in d. 3. Aprilis, & propter literam Dominicalem C. Pascha erit d. 4. Aprilis prorsus ut ex calculo Astronomico. Hoc, inquam, nec quidquam aliud agit Anonymus hac V. Assertione. Quòd si compendii Tabellæ a Calendarii curatoribus rejectæ, si ipsum Calendarium compendii a Gregorio XIII. mutatum, a Clemente VIII. unà cum aliis omnibus prohibitum, & Clavianum unicè probatum est (quod fortassè non sine distinctione aliqua inter Calendarium, & Epactas temporarias quis admitteret) sed si denique compendium illud antiquatum ab Ecclesia fuit, sequitur quidèm ex hoc Pascha non esse celebrandum juxta Tabellas compendii, at non sequitur eas minùs conformes esse Cœlestibus motibus, aut alias a Clavio supputatas meliùs cum illis convenire. Planè non præsumit Anonymus auctoritate propria Pascha indicere alio tempore, quàm quo Romana Ecclesia post Gregorianam emendationem indixit, neque Calendarium aliud pro legitimo agnoscit, quàm quod lege Ecclesiastica introductum est. Verùm si Summi Pontificis auctoritate intercedente, de hoc ipso Calendario ad motus cœlestes expendendo agatur; tùm verò ait compendii Tabellam anno 1700. optimè conformari Plenilunio medio, secus vulgarem, quæ in usu est, quod verissimum esse supra demonstravimus.

Quas autem mutationis illius Tabellarum compendii in alias quæ Calendario Gregoriano insertę sunt, causas cum Clavio affers, illę ad sequentem Assertionem; ubi ex professo de hoc agitur, reservandę sunt.

VI. AS-

VI. Assertio Anonymi.

Juxta illud compendium instituenda erat æquatio (addendo diem unum Epactis) in annis 300. eaque transferenda ab anno 1400. in sequentem trecentesimum. Sed qui Aloysio Lilio Auctori Kalendarii vita functo suffecti sunt, cum eos trecentesimos ab Anno Christi 500. numeraverint, indeque Epactas correctas huc usque deduxerint, eam æquationem, quæ tali dinumeratione anno 1700. esset facienda, transferendam censuerunt ab Anno 1700. ad Annum 1800., quæ translatio ni fiat, adhuc Epacta Anni 1700. habebitur X., XIV.a Paschalis d. 3. Aprilis, Pascha d. 4. Aprilis.

Hic verò iterum inculcas ea, quæ ad superiorem Assertionem respondisti: nimirùm æquationis Lunaris rationem, quam Lilius proposuerat, optimo consilio in Calendario Gregoriano immutatam, statuta alia Epocha, nempe ad sæculum Dionysii Exigui. Cujus mutationis eam insinuas causam quam Clavius copiosè exaggeravit, & post Clavium quotquot Doctrinam ejus sequuti sunt: nimirùm Ecclesiæ cautelam, ut Epactæ aliquantò seriùs Neomenias ostendant, quàm calculus accuratus postulet, ut videlicet eò tutiùs concursus Paschæ cum XIV.a media, & consensus cum Quartadecimanis Hæreticis effugiatur. Itaque cum Concilii Nicæni tempore Aureus Numerus indicaret XIV.as nimiùm Plenilunia media antevertentes (XV.æ enim Cyclares non nisi XV.æ Cælestes, & Astronomicæ fuerunt) & idcirco Pascha nonnunquam XV.a Luna Media, & Astronomica celebraretur, operæpretium fuit in nova Paschalis anni castigatione istud ipsum emendari vel perfici. Dionysii autem Exigui tempore XIV.æ Lunæ per aureos numeros inventæ nunquam distabant per 1. d. a Pleniluniis mediis, sed potius nonnihil ea sequebantur, quare ex hoc tempore initium sumi debuit æquationis in posterum faciendæ; ut scilicet XIV.æ per Epactas inventæ in eodem statu perpetuò manerent respectu XIV.rum Cælestium, in quo tempore Dionysii fuerant, nempe in statu ad tutam Paschæ celebrationem, & ad XIV.æ concursum præcavendum maximè opportuno. Hæc omnia Petavii præsertim auctoritate nituntur l. 5. Cap. 15. & 16. de Doct. Temp.

Quoniam in hoc Capite totius Controversiæ cardo vertitur, erit nobis in eo paulò magis immorandum. Ante tamen quàm ad ipsam quæstionem venio, quandoquidèm auctoritatem Petavii, aliorumque insignium Chronologorum allegas, rogatum te velim ut animadvertas neminem eorum, qui vel pro Clavio, vel adversùs eum ad hæc usque tempora scripserant, meminisse erroris in calculo Pleniluniorum mediorum ab eo commissi, qui paucis tantùm ab hinc annis detectus est, scilicet instante sæculari anno, quo Calendarium consulendum erat, ut Epactarum radix deinceps usui futura ex eo peteretur: primus enim, quod sciam, illum calculi lapsum indicavit Cassinus in regulis Astronomiæ Siamensium, quæ anno 1689. in lucem editæ sunt. Itaque minùs mirum videri debet si Catholici quotquot post Clavium pro Gregoriana correctione scripserunt, cum a Clavio causas innovationum in

Calendario factarum utique prima facie plausibiles accepissent, in calculis verò ejus fidem sequerentur, facilè inducti sint ad doctrinam ejus amplectendam, aut veriùs in eorum libros transferendam. Verùm Anonymus aliique recentiorum, ut videre calculos illos manifestè erroneos, meritò de tota Clavianæ Equationis ratione suspicari cæperunt; causasque mutationis prædictæ diligentiùs inquirentes, denique intellexerunt hominem non magno operæpretio Lilianam methodum, quantùm ad hanc partem attinet deseruisse, ut suam illam subrogaret. Id quod, auctoritate Petavii cæterorumque dimissa (quæ tamen quanti ponderis sit infra expendemus) paucis jam demonstratum imus.

Primùm omnium necesse est ut de Clavii facto inter nos conveniat. Compendium illud Calendarii Liliani, quod Greg. XIII. ad Christianos Principes, & ad celeberrimas Academias miserat anno Domini 1577., professus; *quam rationem Principibus, majorique Doctorum hominum parti aptiorem, & convenientiorem visam esse agnovisset, eam se quasi totius Christiani Orbis consensum accepturum*, strictè quidem sed satis perspicuè totam novi Calendarii rationem complectebatur. Presertim verò, Epactarum æquationem quòd attinet, Tabulam exhibebat ad annum Christi 5000. continuatam, cum adscriptis Literis Epactarum indicibus, quæ in Tabula earum expansa, quæ quovis sæculo ex mente Aloysii Lilii sumendæ forent, ostenderent. Eam hic apponimus, qualem ipsum Compendium exhibet supposita detractione 10. d. ex anno Christi 1582.

Hujus Tabellæ constructio in eodem compendio declarabatur, triplicem statuendo Epactarum æquationem; alteram, quæ Epactam augeat uno die, quæque cuilibet trecentesimo anno debeatur propter Lunæ anticessum; alteram, quæ post 2400. annos recurrat, propter annos 12. cum dimidio in priore illa neglectos, unde fit priorem æquationem ad sequentem centesimum differri; tertiam denique, quæ Epactam minuat die uno, propter omissam intercalationem in annis 100.is quę tamen juxta Gregorianum Systema 400.mo quoque anno cessat. Ex harum trium æquationum complexu Tabellę constructio pendet. Etsi autem non exprimebatur quisnam annus in Epocham harum æquationum electus fuisset, ut in posterum ex eo reliqua sæcula ordinarentur, perspicuum tamen est ex ejus progressu sumptum fuisse annum Christianæ Æræ primum; omissio enim æquationis Lunę fit in ea anno 2400.; iterumque anno 4900., quo scilicet tempore fieri par est, si radix primo Christi anno statuta sit; ut propterea mirum mihi videatur quod per librum tuum sępissimè repetis: Epocham ęquationis hujus constitutam fuisse a Lilio ad tempus Concilii Nicæni; nam si hoc ita foret, in aliis sanè annis ęquationis omissio facta fuisset. Equidem verum est Epactas Lilianę

Tabula Æquationis Epactarum ex Calendarii Al. Lilii Compendio.

N	1	
P	325	
a	600	B
b	900	B
c	1200	B
d	1500	B
E	1582	
E	1600	B
D	1700	
D	1800	
C	1900	
C	2000	B
C	2100	
B	2200	
A	2300	
A	2400	B

lianę hujus Tabulę eodem modo cum Noviluniis mediis comparatas esse, quo tempore Nicęnæ Synodi, vel parùm absimili; quia videlicet Epactę quoque ad primum Christi sęculum, imò ad omnia alia sęcula, propter ęquationem debitis temporibus adhibitam necessariò in eodem statu retinentur; Sed hoc non importat Epocham æquationis positam ad tempus Nicęnę Synodi; ęquationis enim radix ex hoc indicio cognosci non potest, sed ex 100.mis quibus æquatio omittitur.

Excipiebant hanc Tabulam quatuor aliæ minores, ac temporariæ, quas ex illa decerptas fuisse constabit, si Epactæ in iis propositæ cum literis in æquationis Tabula adscriptis conferantur. Denique ut ostenderetur hunc Cyclum cuilibet cælestium motuum mensuræ adaptari posse, proponebatur in exemplum alia Tabella æquationis Epactarum juxta Copernici hypotheses, in qua literæ quidèm aliquibus 100.mis adscriptę eædem esse non possunt cum iis, quas prior Tabula exhibebat (quia nimirùm in Copernicana hypothesi bissexstilium distribuendorum alia ratio erat) sed annis 1582. & 1600. correctioni immediatè succedentibus litera eadem præfigebatur quæ in superiori Tabula, videlicet E. majuscula, & aliàs æquationis Epocha erat pariter annus Christi primus, nam & in hac Lunaris æquatio iisdem annis transferebatur quibus in superiore translata fuerat. Hæc omnia ex ipsius compendii Clavianæ expositioni præfixi lectione manifesta sunt.

Advertendum est porrò quo ad Tabellam Epactarum temporariam illi compendio insertam, atque usui futuram ab anno 1582. ad 1699. (quam utique Tabulæ æquationis Epactarum literam E. pro his temporibus præferenti conformari diximus) eam exhibere novilunia toto quatriduo maturiùs, quàm circa Nicænæ Synodi tempora, & annum Christi 323. ad eosdem annos decennovennalis Cycli per Aureos Numeros, eo tempore maximè cum Noviluniis cælestibus conformes, exhiberentur. Ut ex. g. primo Cycli cujuslibet decennovennalis anno, Aureus Numerus 1. tempore Concilii Nicæni Novilunium indicabat d. 23. Martii, qui dies post correctionem Gregorianam vocatus fuit 2. Aprilis; Epacta verò II. quæ in dictis Tabellis, temporariæ, atque æquationis, priori pariter Cyclorum anno post correctionem convenit usque ad annum 1699., Novilunium ostendit d. 29. Martii, scilicet quatriduo ante d. 2. Aprilis; vel si placeat Epactarum usum etiam ad tempora Nicænæ Synodi retrotrahere, Epacta respondens Aureo Numero 1. erat tunc VIII. (ut ex litera P. in Tabula ęquationis Compendii prædicti anno Christi 325. adscripta dignoscitur, cui quoad hoc etiam Claviana ęquatio consentit) post correctionem verò, & annum 1582. eidem Aureo Numero

A	2500	
u	2600	
t	2700	
u	2800	B
t	2900	
s	3000	
s	3100	
s	3200	B
r	3300	
r	3400	
q	3500	
q	3600	B
q	3700	
p	3800	
n	3900	
p	4000	B
n	4100	
m	4200	
m	4300	
m	4400	B
l	4500	
l	4600	
k	4700	
k	4800	B
i	4900	
i	5000	

res-

respondet in Tabellis Compendii Epacta II. , cui additis 10. d. , qui ex anno 1582. detracti sunt , fit Epacta XII. quatriduo citiùs Novilunia demonstrans , quàm Epacta VIII. Atque idem aliis Cycli anni contingit , neglecta exigua diversitate , quam cavarum , plenarumque Lunationum alterna distributio intulit , a distributione Aurei Numeri aliquibus in locis non nihil diversa.

Et planè quòd anno 1582. àc sequentibus Epactæ eligerentur quatriduo saltèm citiùs Novilunia indicantes, quàm per correspondentes aureos Numeros indicarentur , cælestibus motibus maximè conveniebat . Totidem enim dies , & ampliùs a Niceno sęculo usque ad tempora correctionis Novilunia cælestia radices suas antevertebant . v. g. cum anno Christi 323. , quo Nicæna Synodus celebrata est , currente Aureo Numero 1. Novilunium incidisset in d. 22. Martii h. 4.' 22. (prout etiam Aureus Numerus d. 23. Martii adscriptus ostendebat) anno 1577. eodem Aureo Numero currente accidit Novilunium d. 18. Martii h. 16.' 4. utique maturiùs d. 4. h. 12.' 18.; idemque innumeris exemplis aliorum annorum confirmari posset , si de eo quisquam ambigeret. Meritò igitur ad salvandam quantùm fieri poterat Cycli cum motibus Lunæ conformitatem , propter quam solam laboriosum illud correctionis opus suscipiebatur , propositæ fuerant in compendio tales Epactæ , quæ statim correctionem illam non inanem fuisse, sed pulchrè omnia conciliasse , demonstrarent .

Ergo cum compendium hoc Principibus , doctisque Viris magnoperè placuisset , Greg. XIII. *Viros ad Calendarii correctionem adhibuit harum rerum longè peritissimos* . & inter cæteros Christophorum Clavium , de quo si quid interdum dixero , quod in omnimodam hominis laudem non vertat , peto a te , V. Cl. , ne id potius voluntati meæ, quæ in egregium illum Mathematicum impensissima est , quàm veritatis amori imputetur . Illi itaque totius Catholici Orbis consensum sequuti , *hunc præ cæteris Epactarum Cyclum elegerunt , cui etiam nonnulla adjecerunt , quæ ex accurata circumspectione visa sunt ad Calendarii perfectionem maximè pertinere*. Hactenùs ferè ipse Gregorius in Bulla correctionis .

Equidem quo ad has adjectiones Epactarum Cyclo faciendas , *iterum atque iterum inculcaverat illis Gregorius* (utar enim nunc verbis ipsius Clavii *Expos. Cal. Cap. 24. num. 12.*) *ut quàm minima fieret immutatio , atque hoc injebat esse mentem Regum , aliorumque Principum* . Sed quidquid de hoc Pontificis jussu Correctores statuerint , in aliquibus certè a Compendii illius ratione evidenter recesserunt . Inter cætera verò Tabulam aliam Æquationis Epactarum concinnarunt cujus partem hìc apponimus usque ad annum Christi 5000. In ea sumpto pro æquationis Epocha non anno Christi 1.

sti primo ; sed anno 550. ex eo 300.mos annos numerarunt , unde factum ut plerisque 100.mis literam Epactarum indicem assignaverint ab ea diversam , quam Tabula æquationis compendii pręferebat . Et anno quidèm primo Christi , nec non anno 325. easdem cum ęquatione compendii literas tribuerunt . Deinceps verò , ęquationis eorum ratione id postulante , dissentire cęperunt . Itaque ad annum correctionis 1582. & sequentem proximè 1600. adscripsére D. cùm compendium adscripsisset E;ad annum verò 1700. adscripsére C , cùm Compendium haberet D.; idemque cum plerisque consequentium annorum actum est . Ex hac Tabula etiam complures Tabellas temporarias deduxerunt . Porrò illa litteræ variatio Epactas omnes unitate minuit , Novilunia uno die postponit ; quo fit ut comparatis jam Noviluniis Nicęni sęculi cum iis , quę ad correspondentes annos statìm a correctione succedentes per hasce Epactas eliciuntur, anticipatio dierum tantummodò trium reperiatur. Hęc omnia ex Libro expositionis , & ex secundo Calendarii Canone manifesta sunt .

Quod Calendarium ita per eos instructum , & Gregorio XIII. oblatum Summus Pontifex evulgavit , pręfixa Bulla , qua illud auctoritate propria muniebat . In ea hęc verba leguntur . *Curavimus non solùm æquinoctium vernum in pristinam sedem , a qua jam a Niceno Concilio decem circiter diebus recessit , restituendum , & XIV.am Paschalem suo in loco , a quo quatuor , & eo ampliùs dies hoc tempore distat , reponendam , sed viam quoque tradendam , & rationem , qua cavetur ut in posterum æquinoctium , & Luna XIV.a propriis sedibus nunquam dimoveantur .*

Cum deinde Clavius ad finiendas complures controversias adversùs Calendarium a Moestlino , Germanno , Scaligero , Vieta , aliisque excitatas , jussu Clementis VIII. egregium opus elaborasset , quod *Calendarii Expositionem* inscripsit , idem Clemens Pontificiam auctoritatem operi impertitus est , pręfixa Bulla , quam tu , V. Cl. , ad finem disputationis tuę retulisti. In eo libro recensuit Clavius mutationes , quę ab ipso unà cum cęteris Correctoribus Liliano Compendio factæ fuerant , atque earum causas affert. Sic cap. 10. n. 8. & sequentibus fatetur mutatam fuisse dispositionem Cycli Epactarum in Calendario, introducta gemina Epacta 25. XXV. potius quàm signis *, & ω a Lilio propositis, & causam affert. Cap. 12. num. 10. fatetur rationem ęquationis a Lilio propositam, post annum 8100. mutatam a se fuisse, & causam

Tabula Æquationis Epactarum ex Claviousq; ad annum 5000.

N	1	
P	320	B
P	500	B
a	800	B
b	1100	B
c	1400	B
D	1582	
D	1600	B
C	1700	
C	1800	
B	1900	
B	2000	B
B	2100	
A	2200	
u	2300	
A	2400	B
u	2500	
t	2600	
t	2700	
t	2800	B
s	2900	
s	3000	
r	3100	
r	3200	B
r	3300	
q	3400	
p	3500	
q	3600	B
p	3700	
n	3800	
n	3900	
n	4000	B
m	4100	
l	4200	
l	4300	
l	4400	B
k	4500	
k	4600	
i	4700	
i	4800	B
i	4900	
h	5000	

sam pariter affert . Verùm de mutatione illa adeo insigni Tabulæ æquationis, scilicet ejus Epochæ, & consequenter literarum penè omnium, quæ annis adscribuntur, & præsertim ipsi anno correctionis, ne verbum quidem in toto illo opere legitur. Nam etsi rationem reddit ipsi, ut videtur, irrefragabilem, cur Epocham æquationis suæ anno 550. statuerit, ex quo deinde illa literarum mutatio pendet (quam rationem paulo post discutiemus) non exprimit tamen recedere se in hoc a mente Lilii, atque a Tabulis compendio insertis, quas omnes Christiani Principes, atque Academiæ approbaverant, quemadmodum in aliis mutationibus disertè expresserat; quin imò dum Tabulam suæ æquationis profert, eam *ex sententia auctoris Calendarii* supputatam inscribit, eademque vocabula frequenter repetit, ut videre est passim Cap. 11. Expos. Cal.; quod in homine diligentissimo, & minimos scrupulos superstitiosè prosequente, mirum est. Denique ut Epactis suis fidem conciliet, eas in amplissima Tabula Festor. Mobil. ad 5000. annorum describit unà cum Pleniluniis mediis, e quibus quæ ad annos 100.os communes supputata sunt, uno die tardiora esse, quàm par fuerit supra demonstravimus.

Hęc omnia, cum meram facti narrationem contineant, & ex allegatorum operum inspectione pendeant, in dubium revocari non possunt. Ex illis porrò hæ propositiones evidenter consequuntur.

Primò Tabulam ęquationis Epactarum Calendarii, quę eadem in Libro Expositionis repetita est, & temporarias quę ex illa dependent, quantùm ad Epactas convenientes annis 1582. 1600. 1700., & plerisque aliis, adversari doctrinę traditę in Compendio ad Christianos Principes misso, quod illi probaverant, & Gregorius XIII. pręceperat, *ut quàm minimùm mutaretur*.

Secundò easdem Epactas iisdem annis, quibus a Tabellis compendii discrepant, non conformari motibus cęlestibus. Cum enim Epactæ compendii ad Nicænum sæculum satis accuratè motibus cęlestibus respondeant, ut ostensum est; & aliàs Æquatio opportunè adhibita illas in eodem ferè statu retinere potis sit; fit ut ubicumque Epactæ Clavii a Tabella Compendii discrepant, a motibus etiam cęlestibus alienę sint. Qua tamen in re necessariò accidit, ut non omnibus sæculis æquè manifestus, & inexcusabilis error consurgat; quia videlicet neque Epactę Compendii omnibus sęculis æquè rigorosè medios motus imitari possunt; quandoquidèm ęquatio, quę eas temperat, non per partes, ut opus ferret, sed tota uno actu 300.mo quoque anno illis adhibetur, ut a Clavio quoque factum est, nec sanè aliter fieri potuit. Insignis verò pręsertim est Epactarum Clavii a mediis motibus discrepantia labente hoc sęculo XVIII.; cum superiore sęculo paulò excusabilior fuerit.

Tertiò easdem Epactas adversari menti Gregorii XIII. expressæ ab eo in Bulla correctionis; Gregorius enim ait *curasse se Lunam* XIV.am *suo in loco, a quo 4. & eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam*: Epactę autem predictę Lunam *suo in loco* non reponunt, cum eam tribus tantùm diebus sursum promoveant, ut dictum est.

Quartò non posse nihilominus in plerisque annis 100.mis, nempe in omnibus

bus illis, qui bissextiles non sunt, populariter animadverti adeo evidentem Epactæ Clavianæ dissensum a mediis motibus, ex mera inspectione ejus Tabulæ Festorum mobilium; eò quòd Plenilunia iisdem annis adscripta uno die seriùs notata sint, quàm legitimus calculus poscat; & ita satis benè cum ejus Epactis conveniant, quæ & ipsæ uno die tardiores sunt, quàm Compendii Epactæ, quæ calculo consentiunt. Unde non mirum quòd ea diversitas, neque Gregorio XIII. perspecta fuerit; qui in Bulla 4. dies Epactis exemptos esse supposuit; neque Clementi VIII., qui Librum expositionis approbavit, neque etiam Petavio, cæterisque, qui de Calendarii doctrina post correctionem scripserunt. Sed profectò neque Clementis approbatio, neque Auctorum pro Clavio testimonia absolutè videntur intelligenda, sed solùm quatenus ejus calculi errorem non contineant, mentique summi Pontificis Gregorii XIII. conformentur, cui Clavianas Epactas adversari supra ostensum est.

Quibus demonstratis jam non potest suffragari Clavio causa mutationis Tabellę Epactarum, quam & Canone secundo Calendarii, & in Libro Apologiæ adversus Moestlinum, & denique plurimis locis Libri expositionis Calendarii, præsertim verò Cap. 18. & 19. exaggeravit, videlicet cautela illa ut Novilunia seriùs aliquanto per Epactas indicarentur, ne scilicet XIV.ª nimis Plenilunia cęlestia anteverterent, & Pascha Luna XIV.ª celebraretur. Nam quantumcumque hæc ratio subsisteret (quam nullius ponderis esse paulò post ostendemus) non debet tamen prævalere expressæ menti summi Pontificis Gregorii XIII., qui Christiani Orbis consensum per Compendii illius approbationem declaratum, secutus, jusserat Epactas augeri quatuor diebus, ut scilicet Luna in pristinas sedes, quas tempore Concilii Nicæni habuerat, & a quibus prolapsa erat, restitueretur. Planè cum idem summus Pontifex in ea Bulla supponat detractos esse d. 10. anno 1582. ut Æquinoctia ad sedes, quas tempore Synodi Nicęnę habuerant, reverterentur; adamussim observatum id est, nec quisquam negat adversaturum fuisse ejus menti eum qui novem tantùm diebus annum mulctasset, quamcumque denique ejus mutationis causam allegaret. Nunc cum quatuor dies ætati Lunæ adjici eodem sermonis contextu pręcipiat, dicetur Clavius mentem ejus servasse, qui tres solummodo dies adjecit, quia scilicet causam aliquam variationis hujus excogitavit?

Sed causam illam, in qua denique potissimam vim facis, tanti non esse ut propterea ęquatio Liliana rejici, atque alia menti Gregorii adversa subrogari debuerit, demonstremus, quandoquidèm in ea amplificanda responsio tua cùm ad hanc, tùm ad superiorem, multasque ex sequentibus Assertionibus tota versatur. Ait igitur Clavius cavendum esse diligenter in Cyclo disponendo, ut quandoquidèm ille Cęlestibus motibus semper examussim respondere non potest, saltem tutiorem in partem peccet, nimirum in posticipationem potius, quàm in antecessum Noviluniorum incurrat. Cum enim Sacrosanctum Pascha XIV.ª Luna celebrari omnino prohibitum sit, ne fortè cum Judæis,

aut Quartadecimanis in ejus celebritatis die concurramus, illa securior ratio est, quæ Novilunium, & consequenter XIV.am Cyclarem paulò tardiùs enuntiat, quàm motus medii postulent, ita enim periculum nullum erit, ne in XIV.am, vel ante illam Pascha incidat, quod semper post Cyclarem XIV.am celebratur.

Verùm ut appareat considerationem hanc (quam fateor magna veritatis specie a Clavio proponi) adeo non esse attendendam, ut propter eam æquationum Lunarium ratio Liliana turbari, & Gregorii XIII. mens expressa negligi debuerit; peto quænam sit XIV.a Luna, quandoquidèm in ea, vel ante eam Pascha celebrari omnino prohibitum est. Ea de re disputat Clavius Cap. 18. Exposit. Calend. tandemque concludit num. 3. ab Ecclesia sumi pro XIV.a diem illum *qui XIV.mus est numerandus ab eo die inclusivè, cui præfixus est numerus Cycli decennovennalis, eo anno Novilunia indicans, sive is dies congruat cum conjunctione Solis, ac Lunæ vera, mediave, sive ab illa discrepet*. Hoc ergo posito mirum est quomodo tantoperè timeat ne Pascha in XIV.ma celebretur; quandoquidèm in eo die, qui a Novilunio Cyclari XIV.mus est, Pascha a Catholicis nunquam fit, sed in sequentem diem Dominicum rejicitur. Quòd si enim accidat Pascha celebrari XIV.ma Lunæ die juxta motus medios, nihil hoc referre debet, cum dies ille juxta Clavii doctrinam pro XIV.ma ab Ecclesia non consideretur.

Neque verò si Judæi in hujusmodi annis eodem die cum nobis Pascha celebraturi sunt (utpote qui illud secundum veterem legem semper in XIV.ma celebrant) id propterea movere nos debet; non enim ex instituto nostro, sed casu quodam fit ut cum illis concurramus, neque idcirco Pascha eo die indicimus, quòd XIV.ma sit, quæ est apud eos ejus eligendi causa, sed imò quia diem illum pro XIV.ma non consideramus, qui Cyclarem tantummodo XIV.am quo ad Paschæ negotium agnoscimus. Quòd si illi eundem diem quem nos in XIV.am assumant, nunquam profectò cum illis in Paschę celebratione concurremus, quemadmodum Clariss. Cassinus in Dissertatione ab initio memorata consideravit.

Quod ut Clavii ipsius exemplo confirmem, non ne & ipse fatetur Cap. 18. num. 7., quantumcumque in Cyclaribus Noviluniis de industria retardandis laboraverit, effugere tamen non potuisse quin interdum Pascha ante Plenilunium ferè medium celebraret, hoc est eo die, quo Plenilunium post aliquot horas a meridie contingebat, & sequenti diei tribuendum videbatur? Num ergo propterea hisce annis eum quasi Judaizantem culpabimus? Minimè; sed XIV.ma media missa, Cyclarem spectabimus, quæ sola pro legitima XIV.ma ab Ecclesia agnoscitur, & in qua Pascha indici omnino prohibetur. Quid ni ergo quod aliquoties, etsi raro, Clavio licuit, liceat & nobis paulò sæpiùs, ut videlicet hoc pacto expressam Pontificis mentem sequamur, quam ille fraudat, & longè meliùs Cyclum nostrum cum cœlestibus motibus conformemus?

Video enim quid ad hanc doctrinam responderi possit; scilicet si solius XIV.mæ Cyclaris ratio habenda foret, neque oportuisse corrigi Calendarium a

Gre-

Gregorio XIII. , neque ullam adhiberi sollicitudinem in exquirendo Cyclo , qui motibus cęlestibus maximè conformaretur , quod tamen Summi Pontificis jussu , & Christiani Orbis consensu incredibili factum est . Sed non ego hìc motus medios negligendos autumo , imò rationem eorum maximam in eligendo Cyclo haberi contendo ; at eo semel electo , atque ita temperato , ut quàm maximè fieri potest , cum illis conveniat , statuo curandum deinceps non esse de XIV. quæ per medios motus exhibetur , sed de ea tantùm quæ per Cyclum, utcumque alicubi natura sua imperfectum deducitur : non verò (quod Clavius facit) Cyclum ita adaptandum , ut nunquam , aut raro cum cęlestibus motibus conveniat , sed semper Novilunia differat . Certè si Lilii , Claviique Epactas comparemus , quod ex iis quæ ad sequentem Assertionem dicam , atque ex Tabulis ibi additis facilè fieri potest , nemo negabit Lilianas longè meliùs Cœlo consentire , nam cum XIV.^{ma} ex natura sua octodecim horis Plenilunium medium antevertere debeat , Lilianæ Epactæ in annis saltem 100.^{mis} (unde reliquorum ratio sat proximè conjici potest) usque ad annum 5000. semper aliquot horis , aliquando per unum diem , rarò per diem unum cum dimidio , & cum maximè d. 1. h. 18. (quod in 26. 100.^{mis} semel tantùm contingit) Plenilunia media antecedunt, uno excepto, in quo per 3. horas Plenilunium sequuntur . Contra Clavianæ iisdem annis, non modo 18. h. Plenilunium non anticipant , sed plerumque illud sequuntur , & non rarò 12. 13. , vel 14. h. , ut omittam annos non 100.^{mos} quibus integro die , aut uno die cum 4. 5. 6. 7. horis Plenilunio succedunt . Quis ergo non videt Lilianas conformiùs ad cęlestes motus digestas esse , quàm Clavianæ, ut propterea tolerabile deinde in illis sit , si ex propria Cycli ita rectè adaptati natura , in XIV.^{mas} medias quandoque Pascha detrudant , in Clavianis verò non valdè mirum, si hoc incommodum effugiant (quod neque tamen semper effugiunt) quandoquidèm ferè nunquam cęlestibus motibus adaptentur .

Sed alia longè gravior instantia causam a Clavio allatam funditus evertit : Nimirum illa quidem hypothesis de concursu XIV.^{ma} cum Paschate effugiendo maximi momenti in hoc negotio est ; non ea tamen sola omnis determinandi Paschatis ratio continetur . Curandum est præterea *ut Pascha non nisi intra XV.^{am} & XXI.^{am} Lunam primi mensis celebretur* ; primi inquam Mensis , non duodecimi ; nam hoc adeo prohibetur , ut *in Paschatis celebratione minus erratum sit , si in secundo Mense , quàm si in duodecimo celebretur, quoniam in secundo lex Moysis id fieri aliquando permittebat, duodecimo autem Mense nunquam* . Verba sunt tertiæ , & quintæ ex Gregorianis hypothesibus a te editis , quibus deinde succedit alia de evitanda XIV.^{ma} , ut ita perspicuè Correctores illi declaraverint , quemnam in hoc negotio gravissimum, quem deinde minus gravem errorem existimarent . Præsertim verò quoad duodecimum mensem effugiendum , idem luculenter evincit Canon secundus Calendarii ; in quo licet ratio afferatur dilationis Noviluniorum ab Epactis indicatorum conformis Clavianæ rationi (quandoquidèm Canonis ejus Clavius ipse cum cæteris Reformatoribus Auctor est) videlicet : ut effugiatur concursus XIV.^{ma} cum Paschate , & eo nomine excusetur quod interdum post XXI.^{am} Pascha celebret , concluditur in hæc verba . *Minus hoc peccatum est*

quàm si ante diem xiv.ᵐᵃ *celebretur, vel in ultimo Mense, quod esset absurdissimum*. Sanè duodecimo Mense Paschacelebrari, hoc est bis intra unum annum Paschalem solemnitatem haberi, sequenti autem anno nullum Pascha esse, saltem æquè grave peccatum mihi videtur, ac si aliquando in xiv.ᵃᵐ Luna celebretur; cum inconvenientius sit duplex haberi Pascha; aut nullum, quàm unicum justo maturiùs. Hæc ergo cum ita sint, Clavius tamen nullo modo de gravissimo hoc errore sollicitus familiariter tàm xxii.ᵃ aut xxiii.ᵗⁱᵃ Luna, quàm duodecimo Mense Pascha indicit. Atque ita cum temperandi Cycli rationem in has angustias conjici vidisset, ut hinc anticipanda Novilunia viderentur ad effugiendum duodecimum mensem, & Lunam xxii. (cui consilio affine periculum est ne in xiv.ᵃᵐ & secundum mensem incurramus) hinc retardanda ut xiv.ᵃ, & secundus mensis evitetur (a quibus iterum in xii.ᵐᵘᵐ mensem, & Lunam xxii. incidere proclive est) Clavius ita secundam hanc partem arripuit, ut ad primam minimè attendisse videatur.

Nam quòd Clavianæ Epactæ Pascha sæpè exhibeant mense xii. evidentissimum est consequi ex earum retardatione, quam de industria quæsivit. Quoties enim accidit Novilunium prope ultimum terminum Paschalem, videlicet circa diem 5. Aprilis, Claviana Epacta cum illud ferè semper in sequentem diem, & aliquando in alterum ab eo rejiciat, atque extra terminum Paschalem sistat, assumitur pro Novilunio primi Mensis illud, quod hoc præcessit mense Martio, & post xiv.ᵃᵐ ejus Pascha celebratur, nempe in mense juxta Lunares motus duodecimo. Neve quis putet raro hoc contingere, ecce labente sæculo sexies id accidit ut alios distantiores annos omittam quemadmodum ex adjecto laterculo constat.

Anni quibus Clavius indicit Pascha Mense xii. juxta motus medios Sæculo Christi xviii.

Anni	Plen. media nō Paschalia	Epactæ Clavii	xiv. Clavii	Litera Dom.	Pascha Clavii
1704	20. 11. M.	xxiii	21. M.	F E	23. M.
1723	21. 4 M.	xxiii	21. M	C	28. M.
1742	20. 20. M.	xxiii	21. M.	G	25. M.
1761	20. 13. M.	xxiii	21. M.	D	22. M.
1780	20. 5. M.	xxiii	21. M.	B A	26. M.
1799	20. 22. M.	xxiii	21. M.	F	24. M.

Item Clavianas Epactas exhibere Pascha xxii.ᵃ aut xxiii.ᵃ Luna, ex hoc alio laterculo perspicuum fiet pro currenti tantummodo sęculo, ut iterum omittam complures annos remotiores, quibus idem continget. Unde etiam liquet non esse audiendos eos, qui errorem quidèm hunc Clavii, agnoscentes eum tamen veluti levem excusant, clamantes non propterea totam æquationis rationem Clavianam immutandam esse. Error enim, qui saltem 18. vici-

vicibus intra unius ſeculi ſpatium Paſcha luxat, hoc eſt qui 4.am pœnè Paſchalium ſolemnitatum partem adverſus leges Eccleſiaſticas indicit, an levis atque excuſabilis dicendus ſit, ipſi judicent.

Quid ergo ad hæc Clavius? Fatebitur puto celebrari Paſcha Luna XXI. & XII. Menſe juxta motus medios, ſed non ſecundùm Cyclum. At cur non liceat nobis idem pro Lilio reſpondere, fatendo ſcilicet ejus

Anni quibus Clavius Paſcha indicit poſt Lunam XXI. Sæculo XVIII.					
Anni	Plen. media	Epactæ Clavii	XIV.æ Clavii	Litera Dom.	Paſcha Clavii
1700	3. 11. A.	IX	4. A.	C	11. Apr.
1707	16. 15. A.	XXVI	17. A.	B	24. Apr.
1720	23. 13. M.	XX	24. M.	G F	31. Mar.
1724	8. 1. A.	IV	9. A.	B A	16. Apr.
1727	5. 16. A.	VII	6. A.	E	13. Apr.
1734	17. 20. A.	XXV	18. A.	C	25. Apr.
1744	28. 3. M.	XV	29. M.	E D	5. Apr.
1747	25. 18. M.	XVIII	26. M.	A	2. Apr.
1754	6. 22. A.	VI	7. A.	F	14. Apr.
1774	26. 23. M.	XVII	27. M.	B	3. Apr.
1778	11. 12. A.	I	12. A.	D	19. Apr.
1798	31. 13. M.	XII	1. A.	G	8. Apr.

Epactas incidere in XIV.am, & in menſem 11. juxta motus medios, at non juxta Cyclum? Præſertim cum error ille Clavii dependeat a ſtudioſa Epactarum retardatione, Lilianus autem ab inevitabili imperfectione Cycli, qui aliàs motibus mediis quantum fieri poteſt correſpondet; Duplex hic nobis proponitur conditio. Altera adverſus mentem Gregorii XIII. ut Novilunia Cyclaria data opera retardemus, atque ita XIV.am & ſecundum menſem effugiamus. Altera juxta mentem Gregorii XIII. ut ea cum cœleſtibus Noviluniis conformemus, atque ita menſem XII. ac XXII.am Lunam præcaveamus. Utra ergo eligenda erit? Utra niſi illa, quæ & menti Gregorii, & cœleſtibus motibus conformior eſt, atque ab ipſa Cycli natura veluti inſinuari videtur?

Sed hanc de XIV.is Paſchalibus induſtrioſè non retardandis doctrinam minùs confidenter proponerem, niſi celeberrimæ illius Nicænæ Synodi, & Sanctorum Patrum auctoritas mihi adſtipularetur. Certè ſi Sacroſancti Paſchatis celebrandi exemplum ab illis deſumi poteſt, non hæc fuerat P. P.bus evitandæ XIV.mæ ſollicitudo, ut in Cyclis ſuis, etſi Epactarum Cyclo longè imperfectioribus, hac de cauſa Novilunia diſtulerint, magno incurrendi XII.

Men-

Mensis periculo . Nam quotquot ab illis Cyclos ad Pascha celebrandum usurpatos , quotquot Paschata etiam post Nicænam Synodum celebrata accepimus , ostendunt nobis eorum xiv.mas ut plurimùm uno ferè die , aliquando etiam biduo Plenilunia media antecessisse , certè aut nunquam , aut rarò illis successisse , & hinc Pascha quandoque xiv.ma Luna nondum absoluta celebratum , xii. autem Mense nunquam . Evincitur hoc ex illis , quæ Anonymus in sequentibus Assertionibus habet , & clariùs ex Paschali Tabula , quam Vir Cl. D. Maraldus anno 1702. Romæ cum esset , evulgavit . In ea enim notantur Plenilunia media , & xiv.mæ ex Cyclo Aurei Numeri deductæ ab anno Concilii Nicæni 323. usque ad annum Christi 463. , unà cum diebus , quibus ex S. S. P. P. testimonio Pascha per eos annos celebratum fuisse constat. Perspicuum autem ex ejus inspectione fit xiv.m Cyclarem præsertim in annis Concilio proximioribus, Plenilunium medium, ut dictum est semper antecessisse.

Quod cum Clavius optimè cognovisset , asserere non dubitavit in Apologia Calendarii adversus Moestlinum lib. 2. cap. 6. §. rursus , atque alibi , inconveniens id fuisse , cum Pascha celebratum tunc fuerit in xiv.ma contra ejus Concilii decreta ; quam deinde propositionem non nihil castigavit , modestiùsque proposuit in lib. Expos. Cap. 18. n. 5. , ubi asseruit Pascha illis temporibus non in xiv.ma sed quasi in xiv.ma celebratum esse (intelligebat enim se quoque effugere non potuisse quin interdum in hunc eumdem diem impingeret) idcirco statuit potius ex usu Ecclesiæ , & ex ejus mente esse , ut Novilunia Cycli conjunctionum tempora consequantur , quàm ut ea comitentur; quod cum sæculo Dionysii Exigui circa annum 550. tandem fieret, convenire ut Epactæ ad ejus sæculi normam adaptentur .

Ego verò quoties de Paschatis celebrandi regula dubitaretur , credideram tutissimam rationem esse , si Nicænum Concilium totius Christiani Orbis frequentia incredibili habitum , si Cyrillus, si Theophylus, Ambrosius , & reliqui S.S. P. P. in consilium adhiberentur , neque putaveram dici posse non esse ex usu Ecclesiæ illam Paschatis rationem , quæ in eo Concilio statuta sit , quod usum optimum Paschatis indicendi proponere curaverat , ut ab omnibus Christi fidelibus servaretur . Præsertim verò credideram de hoc dubitari non posse, postquam legeram Gregorium XIII. sollicitum fuisse de Lunari ætate non ad eum statum , quem tempore Dionisii Exigui; sed ad eum quem tempore Concilii Nicæni habuerat , revocanda, utpote qui intelligeret non aliunde posse tutiùs tantæ solemnitatis rationem deduci , quàm si Nicænæ Synodi exempla , ac Patrum ejus sæculi consuetudines fideli Populo ad imitandum proponerentur . Certè Patres illos (ut Cl. Cassinus advertit in memorata Dissertatione)dum Pascha ita celebrarent , judaizasse , aut cum Quartadecimanis reputandos fuisse , non credideram . Sed de hoc iterùm aliqua dicenda nobis erunt , cum sequentes responsiones examinabimus.

Maneat ergo Clavianas Epactas , Tabulamque earum æquationis non modò compendio Lilii , & consensui Christiani Orbis , non modò motibus cœlestibus , & quod rei caput est , menti Gregorii xiii. ; sed Nicænæ quoque Synodi , & Patrum exemplis adversari , licet in quam plurimis annis earum errores , propter Plenilunia (casu , an data opera , ignoro) postposita po

pula-

pulariter cognosci non possint. Ad hæc easdem Epactas, non modò sæpè in xxii.am aut xxiii.am Lunam, sed non infrequenter in duodecimum mensem incurrere, atque ita adversari etiam hypothesibus a te productis, & Canoni secundo Calendarii.

VII. Assertio Anonymi.

Verùm errores ab iis commissi in Tabula Festorum mobilium, qui in aliis omnibus 100.mis non bissextilibus usque ad Annum Christi 4900. irrepsere, fortè effecerunt ut in hac re a regula Gregoriani Compendii, & Tabella Epactarum ibi inserta, putarint esse recedendum, ne videlicet, retinendo Epactam 10. haberent decimamquartam Paschalem die 3. Aprilis, quam supponebant nimiùm præcedere Plenilunium medium die 4. Aprilis h. 11. erroneo Calculo supputatum.

Respondes causam mutationis omnium Epactarum a Clavio factæ non dependere ex calculis Pleniluniorum in 100.mis communibus, sed ex mutatione Epochæ Æquationis, quæ cum a Lilio statuta fuisset ad tempus Concilii Nicæni (veriùs tamen dixeris ad primum annum Christi, ut supra ostendi) a Clavio collocata fuit ad tempus Dionysii, quando xiv.æ melius indicabant dies Paschales.

Verùm si iterùm petam: quæ ergo causa fuerit mutationis Epochæ hujus, quandoquidèm hæc deinde causa fuit mutationis Epactarum? profectò comperies non malè respondisse Anonymum, dum ait fortè hoc effecisse errores in calculis Pleniluniorum commissos. Certè Clavius in expositione Cap.19. n.8., ut Epactas per hoc sæculum præclarè dispositas esse demonstret, quia xiv.æ modò post Plenilunium, modò ante illud contingunt, in exemplum eorum annorum quibus xiv.æ Plenilunia præcedunt, adducit præceteris hunc ipsum annum 1700., in quo videlicet oppositionem mediam ad d. 4. Aprilis h. 11. erroneè supponit, idemque præstat pro sequenti sæculo, in quo utitur Plenilunio Paschali anni 1800. pariter erroneo. Ad hæc dum cap. 13. num.10. §. ita autem, methodum proponit examinandæ, & corrigendæ tabulæ æquationis, si fortè in ea error reperiatur (de quo tamen non nisi post longissimè distantia sæcula sibi metuit) jubet calculari Plenilunium illius anni sæcularis Epactamque assumi in Martio, vel Aprili, cujus xiv.a Plenilunium illud non amplius quàm uno die antecedat. Quidni ergo hac methodo usus fuerit Clavius etiam ad examinandas, eliciendasque Epactas 1700. annorumque aliorum, qui correctioni proximiores sunt? Denique cum ab anno 1600. ad 5000. hæc Plenilunia supputaverit, illisque Epactas suas adscripserit, valdè credibile videtur tantò securiùs eas retinuisse, qui videret juxta calculum suum, in annis præsertim 100.mis, unde reliquorum ratio pendet, eas perbellè Pleniluniis convenire; ut ita si non præcipua, at saltem aliqua hujus electionis Epactarum causa, error ille dicendus sit; vel certè, nisi Clavius ex hac causa Epactas eas elegit, hæc tamen causa esse potuit, cur electas retinuerit.

Allegas deinde Gregorium XIII. in sua Bulla, ut ostendas causam mutationis

nis Epactarum non fuisse Pleniluniorum mediorum errorem. Sed in verbis a te adductis nil tale legitur. Solùm enim habent allata verba: Correctores Calendarii, expensis omnium Cyclis, in Cyclo tandem Epactarum conquievisse, & illi etiam nonnulla adjecisse; quod ad intentum tuum quomodo faciat non video.

Posthæc doctrinam superioribus Assertionibus a te allatam iterùm inculcas, videlicet Epactas a Clavio electas legitimas esse, etiamsi XIV.as proferant, quę Plenilunia subsequantur. Sed cum ea de re multa superiùs dicta sint, nihil hìc addendum existimo. Quemadmodum etiam ex dictis patere arbitror responsionem ad auctoritates in hujus doctrinę confirmatione a te allatas tàm Canonis 2. Calendarii (quem supra potiùs contra Clavium facere ostendi, qui XII. Mense Pascha celebrat) quàm hypothesium Gregorianarum, quę tamen si ritè attendantur, non jubent XIV.am Plenilunio postponi, sed ad summum XV.am Certè in iisdem hypothesibus dicitur correctores examinasse Epactarum Cyclum annos ferè 3000., Cyclumque ritè indicare Plenilunia invenisse, & hanc fateris fuisse methodum, qua usi sunt ad Epactas quovis centesimo determinandas. Iterùm ergo peto, vel in hoc examine usi sunt calculis Pleniluniorum legitimis, & tunc impropriè dixissent se curasse XV.am Plenilunio medio potiùs succedere, quàm antecedere, quia non solùm XV.a evidenter illi succedit, sed & XIV.a, Clavius verò dolosè fecisset, qui legitimis calculis repudiatis mendosos substituisset: vel calculis falsis; & tunc evidenter constat id quod Anonymus asseruit, videlicet errores in Pleniluniis commissos causam dedisse electioni Epactarum, & mutationi Systematis Liliani.

Denique etsi errorem ullum a Clavio in calculis Pleniluniorum perpetratum esse constanter negas, eo tamen disputationis gratia concesso, ut saltem Paschatum errores, qui ex eo nascuntur extenues, ais ex eo non sequi id quod intendimus, videlicet propter errorem illum unius diei in Plenilunio non semper XIV.am postponi Pleniluniis mediis. Ad hoc demonstrandum profers Tabulam I^{O}. um communium usque ad annum 5000. unà cum horis Pleniluniorum Paschalium juxta calculum Anonymi, & vulgarem, deinde XIV.as illis adscribis e Clavii Cyclo deductas (quas vocas Epactas Cycli Antonii Lilii) & ostendis eas ferè semper antevertere Plenilunium aliquot horis, etiam si hoc per unum diem cum Anonymo sursum promotum sit. E contra Tabulæ eidem adscribis XIV.as uno die minores, quàm Gregorianæ, atque ostendis eas sæpè plusquam uno die, & interdum toto biduo Plenilunium antecedere.

Verùm in hac Tabula condenda, primùm a Clavii cæterorumque computatorum methodo discedis. Numeras enim Pleniluniorum tempora a media nocte, cum tamen Clavius passim per totum illum expositionis librum a meridie numeret, & præsertim Cap. 19., ubi de hac ipsa re examinandæ anticipationis, vel posticipationis XIV.nium exprofesso agit. Sed illa scilicet eo nomine commodior temporum putatio tibi est, quòd cùm ita Plenilunia veluti retardata proponantur, fit XIV.as Clavii, quæ justo tardiores sunt, minùs in speciem peccare, Lilianas vero eò evidentiùs Plenilunii tempora præcurrere. Sed graviùs aliquid adversus nos committis, dum XIV.as Clavianas com-

comparas cum XIV.mis uno die minoribus quàm Clavianæ sint, quasi Lilianæ, quas Anonymus tuetur, omni sæculo minores sint Clavianis die uno. Sed profectò Calendarium Compendii Aloysii Lilii non semper tales XIV.mas exhibet, at in aliquibus sæculis easdem Epactas cum Clavio habet, nempè in annis 2700. 3000. 3300. 3900. 4900. videlicet illis ferè sæculis, quibus XIV.mas nostras Plenilunia maximè anticipare in Tabula tua statuebas. Itaque si cum Anonymo, imò cum Clavio, cæterisque computatoribus horæ a meridie numerentur, & si loco XIV.um uno die minorum Gregorianis, Lilianæ substituantur, Tabula illa tua in hanc aliam, quam appono, toto cœlo diversam transformabitur.

Ne verò fortasse quis credat ex hujus Tabulæ inspectione Clavianas Epactas eò preclariùs se habere, quòd interdum Plenilunia anticipent, interdum posticipent, meminisse oportet XIV.as natura sua 18. horis Plenilunium antecedere; quare Clavianis posticipationibus 18. illæ horæ addendæ sunt, anticipationibus verò totidem detrahendæ, ut dignoscatur quantum XIV.mæ illæ a sede sua deturbatæ sint; Quòd si idem fiat in XIV.mis Lilianis, tum demùm constare poterit longè frequentiùs, & accuratiùs has quàm illas Cœlo consentire; simul autem ope Tabellæ, quam apposui XIV.mum sæculi Nicæni non solùm cœlestibus motibus, sed etiam Antiquorum Patrum exemplis conformari eas apparebit.

xiv.ᵃ Paschales Clavianæ in 26. annis sæcularibus communibus demonstrantur 12. vicibus posticipare Plenilunia mediaritè computata; at xiv.ᵃ Paschales Anonymi demonstrantur fere semper, ut par est anticipare eadem, ut plurimùm minus quàm uno die, aliquando etiam plusquàm uno die, biduo nunquam; prorsus ut in annis post Concilium Nicænum succedentibus, qui in alia Tabella proponuntur.

Anni sæculares communes.	Plenilunia legitimè comput. a meridie.	xiv.ᵃ Clavii.	xiv.ᵃ Anonymi.	Differentia inter xiv.ᵃ Clavii, & Plenilunia.	Differentia inter xiv.ᵃ Anonymi, & Plenilunia.
1700	3 11 A.	4 A.	3 A.	0 13 post	0 11 ant.
1800	8 19 A.	9 A.	8 A.	0 5 post.	0 19 ant.
1900	4 4 A.	14 A.	13 A.	0 4 ant.	1 4 ant.
2100	25 7 M.	25 M.	24 M.	0 7 ant.	1 7 ant.
22 0	30 16 M.	31 M.	30 M.	0 8 post.	0 16 ant.
2300	5 0 A.	5 A.	4 A.	0 0.....	1 0 ant.
2500	14 16 A.	15 A.	14 A.	0 8 post.	0 16 ant.
2600	21 12 M	22 M.	21 M.	0 12 post.	0 12 ant.
2700	26 10 M.	26 M.	26 M.	0 20 ant.	0 20 ant.
2900	5 12 A.	6 A.	5 A.	0 12 post.	0 12 ant.
3000	10 21 A.	11 A.	11 A.	0 3 post.	0 3 post.
3100	16 5 A.	16 A.	15 A.	0 5 ant.	1 5 ant.
3300	27 9 M.	27 M.	27 M	0 9 ant.	0 9 ant.
3400	1 17 A.	2 A.	1 A.	0 7 post.	0 17 ant.
3500	7 1 A.	7 A.	6 A	0 1 ant.	1 1 ant.
3700	16 17 A.	17 A.	16 A.	0 7 post.	0 17 ant.
3800	23 13 M	23 M.	22 M.	0 13 ant.	1 13 ant.
3900	28 21 M.	28 M.	28 M.	0 21 ant.	0 21 ant.
4100	7 14 A.	8 A.	7 A.	0 10 post.	0 14 ant.
4200	12 22 A.	13 A.	12 A	0 2 post.	0 22 ant.
4300	18 6 A.	18 A.	17 A.	0 6 ant.	1 6 ant.
4500	29 10 M.	30 M	29 M.	0 14 post	0 10 ant.
4600	3 18 A	3 A.	2 A.	0 18 ant.	1 18 ant.
4700	9 2 A.	9 A	8 A.	0 2 ant.	1 2 ant
4900	18 19 A	18 A.	18 A.	0 19 ant.	0 19 ant.
5000	25 14 M.	25 M.	24 M.	0 14 ant.	1 14 ant.

xiv.ᵃ Paschales ex aureo Numero deductę in 26. primis annis a Concilio Nicęno, ostenduntur semper precedere Plenilunia media a meridie computata, etiam plusquam uno die. excerpta ex Tab. D. Maraldi.

Anni Christi.	A. N.	Plenilunia Paschalia.	xiv.ᵃ ex Cyclo aur. num.	Anticipatio xiv.ᵃ	Pascha.
323	1	6 23 A.	5 A.	1 23	7 A.
324	2	26 8 M.	25 M.	1 8	29 M.
325	3	14 5 A.	13 A.	1 5	18 A.
326	4	3 14 A.	2 A.	1 14	3 A.
327	5	23 23 M.	22 M.	1 23	26 M.
328	6	10 20 A.	10 A	0 20	14 A.
329	7	31 5 M	30 M.	1 5	6 A.
330	8	19 3 A.	18 A.	1 3	19 A.
331	9	8 12 A.	7 A.	1 12	11 A.
332	10	27 20 M.	27 M.	0 20	2 A.
333	11	15 18 A.	15 A.	0 18	22 A.
334	12	5 3 A.	4 A.	1 3	7 A.
335	13	25 12 M.	24 M.	1 12	30 M.
336	14	12 9 A.	12 A	0 9	18 A.
337	15	1 18 A.	1 A.	0 18	3 A.
338	16	22 3 M.	21 M.	1 3	26 M.
339	17	10 0 A.	9 A.	1 0	15 A.
340	18	29 9 M.	29 M.	0 9	30 M.
341	19	17 7 A.	17 A.	0 7	19 A.
342	1	6 15 A.	5 A.	1 15	11 A.
343	2	27 0 M.	25 M.	2 0	27 M.
344	3	13 22 A.	13 A.	0 22	15 A.
345	4	3 7 A.	2 A.	1 7	7 A.
346	5	23 15 M.	22 M.	1 15	23 M.
347	6	11 13 A.	11 A.	0 13	12 A.
348	7	30 22 M.	30 M.	0 22	3 A.

Quòd

Quòd si verò placeat computos institui a media nocte, quanquam id computatorum, & Clavii ipsius usui contrarium sit, non recuso, dumodo Nicæni quoque sæculi Plenilunia eodem pacto supputes, & anticipationes XIV.^m etiam pro illis annis 12. horis adaugeas. Non enim timeo ne excessiva illarum anticipatio Anonymo obsit, quasi ab Ecclesia minimè observanda; sed potius quò ea major est, eò præstantiùs cum Epactis Lilianis actum censeo, quæ longè meliùs quàm Clavianæ rationem illam celebrandi Paschatis, Patrum consuetudine, ac totius Christiani Orbis consensu comprobatam, emulantur.

Addis hìc iterùm quædam de calculis Pleniluniorum mediorum, sed quibus ad Assertionem tertiam satis factum esse crediderim.

VIII. Assertio Anonymi.

Licet autem Plenilunia media, quæ post dies integros non redeunt diversis annis, non possint eandem servare distantiam a meridie XIV.^{mæ} sub eodem meridiano, sed ultrò citròque per multas horas, & quandoque per diem integrum vagentur, id tamen observare contueverunt S.S.P.P. qui Paschales Canones in usum Ecclesiæ condidere, ut in Epochis, & Æquationibus, in XIV.^{mam} Paschalem assumerent diem, cujus meridies Plenilunium medium pluribus horis & quandoque die uno, & ampliùs præcederet, ut percurrendo Canones ab antiquissimis temporibus ad hanc usque diem in Ecclesia tam ante, quàm post Concilium Nicænum receptos, videre est.

Respondes, primò consentaneum esse ita disponere Epochas Cycli Paschalis, ut XIV.^{ma} illius, quantùm fieri potest, non sint ante Plenilunium medium nisi horis 18. (quod est tempus conveniens XIV.^{mæ} ne Pascha celebretur in ea cum Hebræis, & Quartadecimanis, vel, quod absurdius foret, ante eam) neque post plures dies, ne Pascha *celebretur in secundo Mense*, ubi legendum puto *in duodecimo*; clarum est enim ex posticipatione Lunæ nullum sequi periculum, ne Pascha celebretur in 2.do Mense, at quidem ne in 12.mo.

Ex quibus colligo te eam solummodo dispositionem Epochæ Cyclaris pro legitima agnoscere, quæ vel collocat XIV.^{am} 18. h. ante Plenilunium, vel minùs quàm 18. horis, vel denique in ipso Plenilunio, aut post ipsum uno, vel altero die ad summum; eam verò prorsus excludere, quæ vel tantillum ante h.18. XIV.^{am} statuit. Sed peto a te, V. Cl., unde hanc regulam XIV.^{mæ} disponendæ deduxeris? Non puto te dicturum ex Clavio; nam de Clavii regulis ipsis controversia inter nos est. Fortasse ergo ex S.S. P.P.? atqui paulò post in hac, & sequentibus responsionibus negas ex S.S. P.P. ullam regulam circa hoc deduci posse; & certè, si ulla deduceretur, ea esset regulæ tuæ prorsus opposita; cum S.S. P.P. XIV.^{mas} Cyclorum radicales semper Plenilunio anteposuerint ultra h. 18. ut Anonymus demonstravit. Nùm ergo ex Bulla Gregorii XIII.? at hæc sanè jubet XIV.^{as} in eum statum restitui, quem

tempore Concilii Nicæni habuerant, & ita implicitè docet Epocham illarum in novo Cyclo potius Pleniluniis anteponendam ultra h. 18., quàm uno, vel altero die postponendam. Sed neque dicere potes regulam hanc deduci ex conformitate, quam xiv.^{ma} habere debet cum motibus celestibus; nam hæc conformitas postulat ut xiv.^{ma} vel præcisè antecedat Plenilunium h. 18.; vel certè, si Cycli imperfectio id non sinit, non magis postulat ut illa Plenilunium uno, alterove die sequatur, quàm ut uno, alterove die antecedat. Unum ergo remanet, ut dicas deduci illam ex necessitate concursus effugiendi xiv.^{ma} cum Paschate, & Paschatis Christiani cum Judaico; & de facto propter hanc rationem insinuari talem regulam non modò a Clavio, sed ab omnibus Gregorianis Reformatoribus inter eorum hypotheses. Verùm supra ostendi quatenus absurdum illud timendum, atque evitandum sit; simul allegavi absurdum aliud non valde excusabilius, quod ex hac tua xiv.^{ma} dispositione consequeretur: Celebrationem Paschæ in mense xii. Quo ad Reformatores autem Gregorianos, nego absolutè jussisse eos in hypothesibus xiv.^{mas} industriosè tardiores fieri; cum disertè professi fuerint inconveniens esse, & sine exemplo, si in xii. Mense Pascha celebretur.

Pergis deinde: S. S. P. P. in Cyclis decennovennalibus Epochas non cognovisse, neque nimiam anticipationem, aut posticipationem xiv.^{mum}; aliàs aut Cyclos suos emendassent, adhibitis Æquationibus, aut eis usi non fuissent. Qua in responsione primùm nescio an omnino ad rem addideris verba illa *in Cyclis decennovennalibus*, non enim omnes Cycli S. S. P. P., qui ab Anonymo in exemplum afferuntur, decennovennales fuerunt. Deinde quomodo S. S. P. P. Epochas non cognoverint, planè non intelligo. Cum enim Cycli acephali, hoc est sine ullo initio, aut Epocha saltem imaginaria in usum deduci non possint, oportet S. S. P. P. Cyclis suis aliquod initium hoc, vel illo anno fecisse. Qui ergo dicat S. S. P. P. Cyclorum, quos ipsi proponebant Epochas, sive initia non agnovisse, is dixerit S. S. P. P. quid ipsi agerent ignorasse, quod inauditum, atque periculosum est. Deinde, quòd ii anticipationem, vel posticipationem xiv.^{um} suarum non agnoverint, verum equidem est, si agatur de ea, quæ tractu temporis ex Cyclorum imperfectione succrescebat, quamque propterea si perspectam habuissent, & opportunæ æquationes in promptu illis fuissent, utique emendassent; sed falsum, si agatur de anticipatione xiv.^{um} in ipsis annis pro Cyclorum Epocha assumptis, & aliquot etiam sequentibus saltem per unam, vel alteram Cycli conversionem. Incredibile enim est, aut certè nulla ènus præsumendum Viros sapientissimos, qui præsertim Alexandriæ floruerunt, hoc est in Urbe omnium Christiani Orbis in Astronomicis disciplinis clarissima: quorum diligentiæ Concilium Nicænum indicendi quoque anno Paschatis negotium dederat: qui denique in promptu habebant Tabulas ab Astronomorum Principe Ptolemeo paulò ante in eadem Urbe editas; hos inquam viros ignorasse verum tempus Plenilunii pro eo anno, quem Cyclis suis initialem faciebant, ut reliqui ex eo in posterum ordinarentur; ita ut non adverterent xiv.^{mas} ab eis constitutas tanto tempore Plenilunium medium antecedere. Hoc autem Anonymo sufficit; non enim contendit eorum Cyclos esse undequaque per-

perfectos; sed tantùm observat in hac, & sequentibus Assertionibus XIV.^mas ab iis exhibitas, primis Cyclorum annis semper Plenilunium antecedere, nunquàm illi succedere.

Cæterùm, quidquid de hoc sit, contendis in Gregoriana reformatione meritò electum fuisse pro Epocha Æquationis Cycli Epactarum sæculum Dionysii Exigui, quia eo tempore XIV.^mæ Paschales ferè conveniebant cum XIV.^mis mediis, quod non verificaretur si Epocha illa posita fuisset sæculo Concilii Nicæni, ut supra te demonstrasse confidis.

Ego verò, V. Cl. neque video ubi supra id demonstraveris, & certè curavi ut nihil eorum, quæ in hanc rem a te dicta sunt, intactum relinqueretur. Fateor allegasse te supra Petavium, hoc idem ferè asseverantem; ait enim *Nicæno sæculo XV.^as Cyclicas incidisse ferè in XIV.^mas Celestes; Dionysii verò tempore XV.^mas Civiles exactè Pleniluniis cœlestibus respondisse, & terminos Paschales castigatissimos factos esse*. Quam doctrinam ut confirmes, ad calcem operis tui duas Tabulas exhibes, quarum altera ostendit quantùm XIV.^mæ Cycli decennovennalis anteverterent Plenilunium sæculo Nicæno, altera hoc idem demonstrat sæculo Dionysiano; ut ex earum collatione constet priore quidèm sæculo præcessionem ad biduum ascendere, posteriore autem nunquam eò usque pervenire, sed ut plurimum Cyclares XIV.^mas debito intervallo Plenilunia antevertere.

Sed primùm, quidquid sit de Petavii mente, nec non de Tabulis a te allatis, inconcussa manet Anonymi propositio: *S. S. P. P. consuevisse in Epochis suis XIV.^mam assumere, cujus meridies Plenilunium medium aliquot horis, & quandoque uno die præcederet*. An autem hoc ritè ab illis factum sit; an tutius sit XIV.^mas Plenilunio anteponi potius ut Nicæno, quàm ut Dionysiano tempore factum est; an Gregorius XIII. antiquiorum exemplum imitari constituerit; ad aliam quæstionem pertinet, quæ nisi fallor in iis, quæ ad responsionem tuam 6. & 7. dixi, plenè discussa fuit.

Deindè, quanquam concedam anticipationem XIV.^um Cyclarium Aurei Numeri Nicæno sæculo fuisse paulò majorem, quàm motus celestes poscerent, nego tamen, aut eam fuisse intolerabilem, aut statum XIV.^mæ Dionysii tempore motibus cœlestibus conformiorem. Aliud est enim XIV.^mam Cyclarem præcedere Plenilunium, aliud præcedere sedem sibi debitam. Horùm prius adeo in Cyclo erroneum non est, ut imò ex rei natura tribuenda sit XIV.^mæ præcessio h. 18. ante Plenilunium, quantum fieri potest, & Cycli imperfectio permittit; sedes enim XIV.^mæ mediæ, cui Cyclarem conformari oportet, 18. h. Plenilunium præcedit. Secundum verò, nempe quod XIV.^ma præcedat sedem suam, hoc est 18.^mam ante Plenilunium horam, fateor erroneum esse; sed contendo æquè erroneum, quantùm ex rei natura est, si XIV.^ma hanc sedem sequatur, hoc est si minùs quàm 18. horis Plenilunium antecedat, vel, quod pejus, post Plenilunium contingat. Quoties ergo inveniatur XIV.^ma Plenilunium præcedens, non continuò tota illa præcessio vitio verti debet, sed 18. horis mulctanda est, ut emergat tempus, quo XIV.^ma sedem suam prævenit, vel si minor 18. horis fuerit, demenda est præcessio ipsa ex h. 18., ut appareat quantùm XIV.^ma sedem suam sequa-

quatur. Contrà, si contingat hanc Plenilunio succedere, addendæ sunt illi tempori h. 18. ut totalis XIV.ma a sede sua posticipatio eliciatur.

Quòd si ergo juxta hanc regulam Dionysianum, Nicænumque sæculum comparemus, patebit XIV.mam Cyclarem Nicæno sæculo minùs a sede sua in antecessum distitisse, quàm sæculo Dionysiano in consequentia distiterit. Comparatio facilè fieri potest per tuas ipsas Tabellas, quas memoravi; dummodo juxta omnium Computatorum, atque ipsius Clavii morem horę a meridie numerentur, non a media nocte, contrà quàm in Tabulis tuis factum est. Non enim puto debere nos ad defendendum Clavium uti alia methodo computationis ab ea, qua Clavius ipse usus est. Et quanquam Ecclesia dies a media nocte auspicetur, quantùm ad Ecclesiasticos ritus, sacrasque Cęremonias pertinet; in calculis tamen vulgarem usum, quo dies a meridie inchoantur, non deserir. Itaque comparatione sic facta, invenio Nicæno sęculo maximam pręcessionem Cyclaris XIV.mæ ante Plenilunium contigisse anno 343. & fuisse d. 2. h.o., e quibus si tollantur h. 18. erit maxima præcessio XIV.mæ ante sedem suam d. 1. h. 6. Jam autem sęculo Dionysiano, posticipatio ejusdem maxima anno 588. fuit h. 18. quibus n alię h. 18. adjiciantur fiet maxima ejus posticipatio a sede sua d. 1. h. 12. Perspicuum ergo est Cyclarem XIV.mam magis hìc in consequentia a sede sua distare, quàm Nicęno sęculo in pręcedentia distiterit. Vel si mavis medium aliquem XIV.mæ errorem ad utrumque sęculum supputare; Nicęno sæculo (ab anno scilicet 323. ad 423.) posticipatio maxima a Plenilunio contigit anno 412.; fuit enim XIV.ma 13. Aprilis, cum Plenilunium accidisset 12. Aprilis h. 4. p m., & ita posticipatio fit h. 20. a Plenilunio, & d. 1. h. 14. a sede sua. Anticipatio autem maxima fuit eo anno, ut dixi, d. 1. h. 6. Itaque errorum summa est d 2. h 20. & dimidia d. 1. h. 10. e qua subducta anticipatione d. 1. h. 6. restat medius error XIV.mæ Nicęno sęculo h. 4. & quidèm in posticipationem. At Dionysiano, posticipatio maxima est d. 1. h. 12. ut dictum est; anticipatio maxima anno 571. d. 1. h. 7. ante Plenilunium, seu d.o. h. 13. ante sedem suam; errorum summa d. 2. h. 1., dimidia d.1. h. o. ½ e quo dempta anticipatione h. 13. restat medius error XIV.mæ h. 11. ½ in posticipationem utique major quàm Nicæno sęculo. Vel si denique placeat normam sumere statusquem XIV.ma utroque sęculo habuit a pręcessionibus, vel posticipationibus, quę frequentiùs illis temporibus contigisse observantur; & mensuram aliquam sumamus distantię XIV.mæ a sede sua, quam excedere non oporteat, tàm in antecessum quàm in posticipationem, ex.gr. h. 18.; fatebor Nicęno sęculo contigisse 16. vicibus ut Cyclaris XIV.ma sedem suam ultra h. 18. antevertat, scilicet annis 323. 326. 327. 331. 335. 342. 343. 346. 351. 362. 363. 367. 383. 399. 403. 409. sed e contrà Dionysiano sęculo accidit ut eadem 20. vicibus sedem suam ultra h. 18. consequatur, annis videlicet 504. 508. 512. 520. 528. 529. 548. 549. 550. 561. 564. 565. 568. 569. 580. 584. 586. 588 596. 600. Quis ergo dixerit *Dionysiano sæculo XIV.mas Paschales ferè convenisse cum XIV.mis mediis, non autem Nicæno sæculo*? Quis non agnoscat doctissimum illum Petavium aliquo partium studio ductum, ut assereret Dionysii tempore XV.mas exactè Pleniluniis Cęlestibus respondisse, & terminos Paschales castigatissimos factos

ctos esse, aut castigatiores quàm Nicæno sæculo fuissent?

Sed opportunè hìc mihi accidit ut tertiam quoque Tabulam, quam post duas hactenus expensas in fine libri tui exhibuisti, ad trutinam revocem. Hanc eo consilio proponis, ut ostendas quàm intolerabilis Lunę pręcessio emergat intra hęc proxima septendecim sęcula, si radix Æquationis Cycli Epactarum cum Aloysio Lilio statuatur ad tempus Concilii Nicęni; supponis enim, quemadmodum supradixi ad Assertionem VII. Lilii radicem ad id temporis positam esse, quam tamen ibidem ostendi ad Annum Christianæ Ærę primum fuisse collocatam; sed quidquid de hoc sit, litem non movebo, cum pręsertim parùm ad rem nostram faciat, utrum veriùs dicatur, dummodo constet agi hìc de Epactis ab Aloysio Lilio in Compendio Calendarii traditis, atque a Clavio postmodum rejectis. Prima ergo facie videtur Tabula tua totum Lilii Systema convellere, exhibet enim 475. annos, quibus xv.^{mæ} pręcedunt Plenilunia media uno die, & multoties biduo ab Anno Christi 1583. post correctionem primo, usque ad annum 3298.; ex quo deinde sequitur xiv.^{mas} iisdem annis biduo, & multoties triduo Plenilunia media pręcessuras; quod absurdum, & rectę Paschatis celebrationi contrarium esse meritò profiteris.

Verùm, si in Tabulam illam paulò diligentiùs inquiramus, liquidò constabit e tanto annorum numero vix paucos superesse, quibus adeò insignis (neque tamen ut ostendam intolerabilis) præcessio imputanda sit; reliquos autem, vel ex suppositis minùs certis in hunc censum adscriptos esse, vel certè adversus Lilianas Epactas, prout ab Anonymo defenduntur, nihil facere.

Quod ut demonstremus, primò considerandum est Anonymum in hoc scripto non ita Lilianam doctrinam Clavianæ anteponere, ut hanc in universum rejiciendam, illam eligendam putet. Litem solummodo intentat adversus Tabulam Æquationis Epactarum Clavii, cui anteponendam censet eam, quę a Lilio in Compendio Calendarii proponebatur. Cęterùm dispositionem Epactarum diurnarum, quę singulis Calendarii diebus adscribuntur, a Clavio introductam, & Tabulam expansam, quę ab eodem, convenienter ad suam hanc Epactarum dispositionem, digesta fuit, nullatenus culpat, agnoscens procul dubio perfectiorem, atque laudabiliorem in hac re Clavii, quàm Lilii methodum, propter rationes ab illo adductas in Libro expositionis Cap. 10. num. 8. & seqq. Esse hanc Anonymi mentem ex eo liquet, quòd Epactas diurnas Calendario Gregoriano adscriptas (etsi alicubi diversas ab illis, quas in Calendario Compendii Lilius exhibuerat) nunquam in jus vocet, sed illam tantummodo, quam dixi, Æquationis Tabulam, ac temporarias ab ea deductas exagitet; pręsertim verò assertione xv. (ubi remedium ad restituendas saltem hoc sęculo suam in sedem xiv.^{as} insinuat) nil aliud poscat quàm ut Epactę accipiantur adhuc, usque ad annum 1799. ex Tabella, quę ab anno Correctionis hucusque inservivit; quasi hoc ipso significaret necessarium sibi non videri, ut in reliquis a vulgata post Gregorianam Correctionem methodo discedamus. Itaque ut Anonymi doctrina per hanc tuam tertiam Tabulam absurditatis convincatur, oportet primò assumere

quo-

quovis sęculò literam Epactarum Indicem in Tabula Æquationis Compendii; deinde invenire lineam Epactarum huic literæ convenientem in Tabula expansa Claviana, non autem in Liliana; denique Epactam, quæ in hac linea aureo numero propositi auri correspondet, quærere in Calendario Claviano, non autem in Liliano; ita enim habebitur dies Novilunii XIV.mæ & XV.mæ secundum Anonymi mentem: quòd si hæc inveniatur ultrà quàm par est Plenilunium medium antecedere, tum demum id Anonymo vitio vertendum erit. Cæterùm si non modò literæ Epactarum Indices, sed etiam Tabula expansa, & Epactæ diurnæ Calendarii ex Lilio desumantur in hoc examine, & tum verò nimia XV.rum præcessio inveniatur; Lilianum quidem systema impugnabitur, sed adversus Anonymum nihil fiet.

Secundò animadvertendum, quod etsi regulariter literæ Indices Epactarum Tabellæ æquationis Compendii una sede promotiores sunt Clavianis, itaut exhibeant in Tabula expansa lineam Epactarum unitate majorem, aliquando tamen cum Clavianis concordant, & easdem cum illis Epactas exhibent. Deinde, quoties una sede Clavianis promotiores sunt, non sequitur semper Novilunia Liliana, & XIV.as aut XV.as Lilianas uno die Clavianis citiores esse, dummodo tamen juxta regulam numero præcedenti propositam dies isti ad mentem Anonymi determinentur. Primò enim, si Epacta Claviana fuerit XXIII., Liliana erit XXIV., & XV.æ Clavianæ uno mense Lilianas antecedent; erit enim XV.a Clavii d. 22. Martii, Liliana d. 19. Aprilis, quod video in Tabula tua optimè servatum fuisse. Secundò si Epacta Clavii fuerit XXIV. & quidem sub una ex literis Indicibus E, n, b, B, K, N, t, g, G, r, e, Epacta Lilii erit XXV., & tunc Clavii, Lilliique Neomeniæ Paschales, & consequenter XIV.æ ac XV.æ concordabunt in eodem die; quandoquidèm Epactæ XXIV. XXV. eidem diei 5. Aprilis in Calendario Claviano adscriptæ sunt. Tertiò pariter si Epacta Clavii fuerit 25. Charactere non Romano, sed Sarracenico descripta (cujusmodi Epactas Sarracenicas vocat V. Cl. P. Bonjour in egregio opere Romani Calendarii nuper edito) Epacta Lilii erit necessario XXVI. & tunc pariter juxta utrumque accidet XV.a Paschalis d. 18. Aprilis. In omnibus denique reliquis casibus XV.a Lilii hac methodo determinata uno die citiùs indicabitur, quàm ab Epactis Clavii indicetur.

His præsuppositis ad examen Tabulæ tuæ venio. Et primùm constat ex dictis omnes annos, quibus Clavio, Lilioque convenit in litera Epactarum Indice, e catalogo tuo expungendos esse. Invenio autem intra decursum septendecim sæculorum, quæ recenses, contingere hoc tribus centesimis; nempe sæculo 2400., quo Index Epactarum Clavio Lilioque communis est A; sæculo 2700., quo Index est t; & sæculo 3000. quo Index est f; sub hisce tribus sæculis 33. annos adnotaveras, quibus Lilio, sive Anonymo excessivas XV.rum præcessiones imputabas, supponens eorum XV.as semper uno die Clavianis minores esse. Itaque e 475. remanebunt anni Censuræ tuæ adhuc obnoxii 442.

Deinde, cum tu Pleniluniorum mediorum tempora a media nocte numeres, quæ ex ipsius Clavii usu a meridie deducenda sunt, omnia Tabulæ
tuæ

tuæ Plenilunia, atque adeo omnes xv.um anticipationes 12. horis mulctandæ sunt, ut sæpiùs dictum est. Quocirca anticipationes illæ quę ad d. 1. h. 12. non perveniunt, facta hac detractione ad diem integrum non ascendent, & ab hac Tabula tollendæ erunt, in qua tantùm anticipationes xv.um, quæ saltem ad diem solidum pertingant, recensere te profiteris; & meritò quidèm tollendę; non enim magis intolerabilis censeri debet anticipatio xv.a minor uno die, quàm anticipatio xiv.a minor biduo respectu Plenilunii, hoc est minor d. 1. h. 6. respectu propriæ sedis; quam utique tolerabilem, & Nicęno sęculo familarem fuisse supra demonstravi. Anni autem Tabulę tuę quibus xv.um anticipatio ad d. 1. h. 12. non ascendit, non consideratis 33. quos supra expunximus, inveniuntur 299. (eos non enumerabo cùm quilibet Tabulam tuam percurrendo statim agnoscere possit) itaque e tanto numero supersint jam anticipationes Lilianę, quę inexcusabiles hactenùs videantur, solummodò 143.

Ad hęc in ea columna, in qua xv.as Paschales uno die minores Gregorianis referre suscepisti, refers saltem 79. infrascriptas, quę non uno die, sed biduo Gregorianis, sive Clavianis minores sunt, ut mirum deinde videri non debeat, si adeo Plenilunia antevertant. Dixi saltem 79. infrascriptas; nam alias quoque plurimas eodem vitio laborantes invenio, sed quia pręcessiones, quę iis conveniunt ad d. 1. h. 12. non pertingunt, atque adeo

Anni	xv.ª quæ Anonymo imputantur in 3.ª tua Tabula & Clavianis biduo minores sunt.	index Epactarũ Lilii.	Aureus Numerus.	Epactæ Anonymi.	xv.ª Anonymi.
1601	16 A.	E	6	xxvii	17 A.
1639	16 A.	E	6	xxvii	17 A.
1658	16 A.	E	6	xxvii	17 A.
1715	17 A.	D.	6	xxvi	18 A.
1802	16 A.	D	17	xxvii	17 A.
1813	14 A.	D	9	xxix	15 A.
1828	29 M.	D	5	xv	30 M.
1829	17 A.	D	6	xxvi	18 A.
1848	17 A.	D	6	xxvi	18 A
1851	14. A.	D	9	xxix	15 A.
1859	16 A.	D	17	xxvii	17 A.
1867	17 A.	D	6	xxvi	18 A.
1870	14 A.	D	9	xxix	15 A.
1886	17 A.	D	6	xxvi	18 A.
1889	14 A.	D	9	xxix	15 A.
1927	15 A.	C	9	xxviii	16 A.
1946	15 A.	C	9	xxviii	16 A.
2003	15 A.	C	9	xxviii	16 A.
2117	15 A.	C	9	xxviii	16 A.
2155	15 A.	C	9	xxviii	16 A.
2174	15 A.	C	9	xxviii	16 A.
2193	15 A.	C	9	xxviii	16 A.
2204	14 A.	B	1	xxix	15 A.
2215	13 A.	B	12	*	14 A.
2223	14 A.	B	1	xxix	15 A.
2231	16 A.	B	9	xxvii	17 A.
2234	13 A.	B	12	*	14 A.
2242	14 A.	B	1	xxix	15 A.
2250	16 A.	B	9	xxvii	17 A.
2261	14 A.	B	1	xxix	15 A.
2291	13 A.	B	12	*	14 A.
2299	14 A.	B	1	xxix	15 A.
2307	17 A.	A	9	xxvi	18 A.
2318	15 A.	A	1	xxviii	16 A.
2337	15 A.	A	1	xxviii.	16 A.
2375	15 A.	A	1	xxviii	16 A.
2383	17 A.	A	9	xxvi	18 A.
2394	15 A.	A	1	xxviii	16 A.
2508	15 A.	A	1	xxviii	16 A.
2519	14 A.	A	12	xxix	15 A.

Anni	xv.ª quæ Anonymo imputantur in 3.ª tua Tabula & Clavianis biduo minores sunt..	index Epactarũ Lilii.	Aureus Numerus:	Epactæ Anonymi.	xv.ª Anonymi.
2527	15 A.	A	1	xxviii	16 A.
2535	17 A.	A	9	xxvi	18 A.
2538	14 A.	A	12	xxix	15 A.
2546	15 A.	A	1	xxviii	16 A.
2565	15 A.	A	1	xxviii	16 A.
2595	14 A.	A	12	xxix	15 A.
2603	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2622	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
1641	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2679	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2698	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2812	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2823	15 A.	u	12	xxviii	16 A.
2831	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2842	15 A.	u	12	xxviii	16 A.
2850	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2869	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2888	16 A.	u	1	xxvii	17 A.
2899	15 A.	u	12	xxviii	16 A.
2907	17 A.	t	1	xxvi	18 A.
2910	14 A.	t	4	xxix	15 A.
2926	17 A.	t	1	xxvi	18 A.
2929	14 A.	t	4	xxix	15 A.
2945	17 A.	t	1	xxvi	18 A.
2967	14 A.	t	4	xxix	15 A.
2983	17 A.	t	1	xxvi	18 A.
2986	14 A.	t	4	xxix	15 A.
3100	15 A.	s	4	xxviii	16 A.
3111	14 A.	s	15	xxix	15 A.
3119	15 A.	s	4	xxviii	16 A.
3130	14 A.	s	15	xxix	15 A.
3138	15 A.	s	4	xxviii	16 A.
3157	15 A.	x	4	xxviii	16 A.
3187	14 A.	s	15	xxix	15 A.
3195	15 A.	s	4	xxviii	16 A.
3214	15 A.	s	4	xxviii	16 A.
3233	15 A.	x	4	xxviii	16 A.
3271	15 A.	s	4	xxviii	16 A.
3290	15 A.	s	4	xxviii	16 A.

alio titulo e Tabula tua expunctæ jam sunt, de illis singulis enunciandis sollicitus non fui. Cur autem hę xv.ª biduo Gregorianas antevertant, ea est causa, quòd tu ad earum dies determinandos non Claviano, at Liliano Calendario usus fueris. Rem ita esse ex singularum observatione apertè colligitur. Cum enim Epactæ a literis Indicibus Lilianis exhibitæ unitate tantùm majores sint Clavianis, non possent xv.ª biduo minores exhibere, si in eodem Calendario quærerentur, in quo Clavianæ quæruntur, hoc est in Claviano, cujus

cujus usum Anonymo etiam communem esse superiùs dictum est . ex. gratia anno 1601. Epacta Clavii est XXVI. exhibens in Clavii Calendario XV.am 18. Aprilis. Liliana autem, unitate solummodò major, est XXVII. quæ utique in eodem Calendario XV.am exhibet 17. Aprilis ; quare cum tu eam consignes 16. Aprilis, perspicuum est te non Clavii Calendario in hoc die determinando usum esse, sed Lilii, in quo Epactæ omnes incipiendo a XXV. usque ad XXX. seu * uno die citiùs adscriptę sunt quàm in illo ; & de facto plerisque omnibus hisce 79. annis Epactæ currentes intra terminos XXV. & * continentur (excipio annum 1828. cujus Epacta est XV. quæ in utrovis Calendario XV. habet die 30. Martii, quare cum tu eam consignes d. 29. patet te in hoc anno calculo lapsum esse) sed profectò de XV.is hoc pacto determinaris viderit Lilius, non Anonymus, qui literas quidem Epactarum Indices ex Lilio desumi postulat; Calendarium verò ipsum cum Epactis a Clavio adscriptis Liliano postponi non præsumit, ut paulò antè dictum est . Itaque cum hæ 79. XV.æ contra Anonymum nihil faciant, excludendę & ipsę e tua tabula sunt, atque ita difficultas omnis ad 64. tantùm annos redacta est .

Iterùm verò in hisce residuis 64. annis, quoties Claviana Epacta est XXIV. sub una ex literis Indicibus E ; n, b, B, K, N, t, g, G, r, e, (atque ita Liliana evadit XXV.) vel est 25. Sarracenica sub quacumque litera (atque ita Liliana evadit XXVI.) qui quidem anni sunt omnino 27 ; fit ut XV.æ juxta Anonymi mentem determinatę non sint uno die minores Clavianis, sed iisdem diebus contingant, ut superiùs monui . Quare cum tu eas determines uno die citiùs Clavianis, perspicuum est te iterùm Anonymi mentem non sequi, & Lilianum Calendarium loco Claviani usurpare . Eos annos sequens Tabella exhibet.

Anni	xv.que A nonymo imputantur in 3.a tua Tabula.		Index Epact. Lilii.	Aur. num.	Epactæ Anonymi.	xv.a Anonymi.	
1905	18.	A	C	6	xxv	19.	A
1943	18.	A	C	6	xxv	19.	A
1962	18.	A	C	6	xxv	19.	A
2019	18.	A	C	6	xxv	19.	A
2106	17.	A	C	17	xxvi	18.	A
2114	18.	A	C	6	xxv	19.	A
2133	18.	A	C	6	xxv	19.	A
2152	18.	A	C	6	xxv	19.	A
2163	17.	A	C	17	xxvi	18.	A
2171	18.	A	C	6	xxv	19.	A
2190	18.	A	C	6	xxv	19.	A
2611	18.	A	u	9	xxv	19.	A
2801	18.	A	u	9	xxv	19.	A
2839	18.	A	u	9	xxv	19.	A
2858	18.	A	u	9	xxv	19.	A
3116	18.	A	s	1	xxv	19.	A
3127	17.	A	s	12	xxvi	18.	A
3135	18.	A	s	1	xxv	19.	A
3146	17.	A	s	12	xxvi	18.	A
3154	18.	A	s	1	xxv	19.	A
3173	18.	A	s	1	xxv	19.	A
3192	18.	A	s	1	xxv	19.	A
3203	17.	A	s	12	xxvi	18.	A
3211	18.	A	s	1	xxv	19.	A
3230	18.	A	s	1	xxv	19.	A
3249	18.	A	s	1	xxv	19.	A
3287	18.	A	s	1	xxv	19.	A

Iterùm ergo expunctis e tua Tabula hisce 27. annis, e tanto numero supersunt 37. quibus xv.a Anonymi jure a te culpari videantur.

Verùm si iterùm hosce 37. residuos examinemus, facilè erit agnoscere non tantam in illis exorbitantiam inesse, ut propterea Liliana Æquationum Epocha antiquari debuerit. Sed primò tollendus est ab hoc numero Annus Christi 2555. Non enim d. 9. Aprilis h. o. p. m. noctem Plenilunium celebrabitur, sed d. 8. h. o. p. m. noctem, sive d. 7. h. 12. p. meridiem uno

uno die citiùs quàm a te , atque a Clavio in Tabula Festorum mobilium consignetur; ut perspicuum sit mendum sive Calculi, sive Typographi in hoc Plenilunio contigisse . Id ex subjecto computo liquet .

	Epactæ			
	D.	H.	'	''
Anno 2500.	9.	13.	18.	39.
54.	26.	2.	16.	41.
Feb. Com.	29.	11.	15.	57.
Radix Christi .	16.	18.	12.	30.
Summa.	81.	21.	3.	47.
Revol. Novil.	88.	14.	12.	10.
Novil. Martii St. Jul.	6.	17.	8.	23.
Dies exempti .	17.			
Novil. Martii St. Gregor.	23.	17.	8.	23.
Dim. Lunatio .	14.	18.	22.	2.
Summa.	38.	11.	30.	25.
Dies Martii .	31.			
Plen. Aprili Stylo Gregor.	7.	11.	30.	25

Quare cum xv.ª Lilii sive Anonymi hoc anno te fatente incidat in d. 7. Aprilis , excessivę præcessionis coargui non poterit . Reliquis ergo 36. annis considerandum est præcessionem xv.rum Anonymi nunquam ad biduum ascendere , Pleniluniis a media nocte computatis ; ex quo fiet ut xv.æ antevertant eadem a meridie calculata minùs quàm d. 1. h. 12. & xiv.æ minùs quàm d. 2. h. 12. , ac consequenter hæ minùs distent a suis sedibus in antecessum quàm d. 1. h. 18. Etsi autem tantæ anticipationis Niczno sæculo exempla non habemus , habemus tamen in Epactis Clavii exempla æqualis posticipationis familiarissima; quorum 72. solummodo per sex priora a correctione sæcula e Clavii Tabula raptim excerpta (innumerabilibus aliis per succedentia sæcula omissis) tibi repono , ut cum 36. illis (quos pariter in alia Tabella adjeci) compensentur . Et denique laterculum alium subjungo annorum octo , quibus Clavianæ xiv.æ per undecim sæcula a sedibus suis distant in posticipationem ultra d. 1. h. 18. & aliquando ultra d. 2., ad quam distantiam nulla ex his 36. maximis xiv.rum Anonymi anticipationibus pervenit . Ex quibus luculenter apparet nihil hic a Lilio peccari in anticipandis xv.is vel xiv.is , quod in iisdem retardandis Clavius æquè frequenter , ac graviùs non peccet ; atque adeo non multò accuratiorem esse Epocham , ad quam Clavianæ Æquationes , quàm eam , ad quam Lilianæ referuntur ; ut propterea non magna fuerit necessitas illam pro hac substituendi , posthabita præsertim Patrum auctoritate , & expresso Gregorii jussu , de quo supra dictum est .

Tabel-

Tabella XXXVI. maximarum anticipatinnum Annnymii deducta e 3 a tua Tabula intra xv. sæcula.

Anni	Plenilunia media computata a meridie.			xiv. Anonymi.		Anticipationes xiv. m Anonymi respectu Plenilunii.		Anticipationes xiv. m Anonymi respectu sedis suæ.	
1617	20	2	A	18	A.	2	2	1	8
1655	20	11	A	18	A.	2	11	1	17
1674	20	4	A	18	A.	2	4	1	10
1806	3	2	A.	1	A.	2	2	1	8
1807	23	11	M.	21	M.	2	11	1	17
1818	20	3	A.	18	A.	2	3	1	9
1826	23	3	M.	21	M.	2	3	1	9
1827	11	1	A.	9	A.	2	1	1	7
1831	28	1	M.	26	M.	2	1	1	7
1843	14	2	A.	12	A.	2	2	1	8
1847	31	2	M.	29	M.	2	2	1	8
1863	3	5	A.	1	A.	2	3	1	9
1875	20	5	A.	18	A.	2	5	1	11
1883	23	5	M.	21	M.	2	5	1	11
2110	4	2	A.	2	A.	2	2	1	8
2111	24	11	M.	22	M.	2	11	1	17
2115	9	0	A.	7	A.	2	0	1	6
2119	26	0	M.	24	M.	2	0	1	6
2130	24	4	M.	22	M.	2	4	1	10
2131	12	1	A.	10	A.	2	1	1	7
2135	29	1	M.	27	M.	2	1	1	7
2147	15	3	A.	13	A.	2	3	1	9
2151	1	3	A.	30	M.	2	3	1	9
2167	4	4	A.	2	A.	2	4	1	10
2187	24	5	M.	22	M.	2	5	1	11
2209	20	2	A.	18	A.	2	2	1	8
2247	20	11	A.	18	A.	2	11	1	17
2261	25	0	M.	23	M.	2	0	1	6
2266	20	4	A.	18	A.	2	4	1	10
2567	26	0	M.	24	M.	2	0	1	6
2871	29	1	M.	25	M.	2	1	1	7
2925	20	7	A.	18	A.	2	7	1	13
3118	29	0	M.	27	M.	2	0	1	6
3155	9	0	A.	7	A.	2	0	1	6
3159	26	0	M.	24	M.	2	0	1	6
3175	29	1	M.	29	M.	2	1	1	7

Tabella LXXII. posticipationum Clavii æqualium maximis anticipatinnibus Anonymi in præcedenti Tabella descriptis (omissis innumeris, quæ deinceps in Tabula festorum mobilium Clavii occurrunt) quæ quidem posticipationes intra vi. tantùm prinra sæcula contingunt.

Anni	Plenilunia media computate a meridie.			xiv. Clavii.		Posticipationes xiv. m Clavii respectu Plenilunii.		Posticipationes xiv. m Clavii respectu sedis suæ.	
1612	15	4	A.	16	A.	0	20	1	14
1632	4	6	A.	5	A.	0	18	1	12
1648	7	7	A.	8	A.	0	17	1	11
1664	10	8	A.	11	A.	0	16	1	10
1668	27	8	M.	28	M.	0	16	1	10
1669	15	6	A.	16	A.	0	18	1	12
1680	13	10	A.	14	A.	0	14	1	8
1684	30	10	M.	31	M.	0	14	1	8
1689	4	7	A.	5	A.	0	17	1	11
1696	16	11	A.	17	A.	0	13	1	7
1704	20	11	A.	21	A.	0	13	1	7
1705	8	9	A.	9	A.	0	15	1	9
1709	25	9	M.	26	M.	0	15	1	9
1721	11	10	A.	12	A.	0	14	1	8
1724	8	1	A.	9	A.	0	23	1	17
1725	28	10	M.	29	M.	0	14	1	8
1726	16	8	A.	17	A.	0	16	1	10
1728	25	1	M.	26	M.	0	23	1	17
1740	11	3	A.	12	A.	0	21	1	15
1741	31	11	M.	1	A.	0	13	1	7
1744	28	3	M.	29	M.	0	21	1	15
1746	5	9	A.	6	A.	0	15	1	9
1756	14	4	A.	15	A.	0	20	1	14
1760	31	4	M.	1	A.	0	20	1	14
1762	8	10	A.	9	A.	0	14	1	8
1765	5	3	A.	6	A.	0	21	1	15
1766	25	10	M.	26	M.	0	14	1	8
1772	17	5	A.	18	A.	0	19	1	13
1776	3	5	A.	4	A.	0	19	1	13
1781	8	3	A.	9	A.	0	21	1	15
1783	16	9	A.	17	A.	0	15	1	9
1785	25	3	M.	26	M.	0	21	1	15
1796	23	7	M.	24	M.	0	17	1	11
1797	11	4	A.	12	A.	0	20	1	14
1840	16	11	A.	17	A.	0	13	1	7
1860	5	12	A.	6	A.	0	12	1	6
1897	16	12	A.	17	A.	0	12	1	6
1916	6	6	A.	7	A.	0	18	1	12
1952	9	8	A.	10	A.	0	16	1	10
1956	26	8	M.	27	M.	0	16	1	10
1968	12	9	A.	13	A.	0	15	1	9
1972	29	9	M.	30	M.	0	15	1	9
1984	15	10	A.	16	A.	0	14	1	8
1988	1	10	A.	2	A.	0	14	1	8
1993	6	8	A.	7	A.	0	16	1	10
2008	21	12	M.	22	M.	0	12	1	6
2009	9	9	A.	10	A.	0	15	1	9
2012	6	1	A.	7	A.	0	23	1	17
2013	26	9	M.	27	M.	0	15	1	9
2017	10	2	A.	11	A.	0	22	1	16
2015	22	11	A.	23	A.	0	13	1	7
2028	9	2	A.	10	A.	0	22	1	16
2029	29	11	M.	30	M.	0	13	1	7
2032	26	2	M.	27	M.	0	22	1	16
2034	2	8	A.	3	A.	0	16	1	10
2041	15	12	A.	16	A.	0	12	1	6
2044	12	3	A.	13	A.	0	21	1	15
2045	1	12	A.	2	A.	0	12	1	6
2048	29	3	M.	30	M.	0	21	1	15
2050	6	10	A.	7	A.	0	14	1	8
2060	15	5	A.	16	A.	0	19	1	13
2064	1	5	A.	2	A.	0	19	1	13
2066	9	11	A.	10	A.	0	13	1	7
2069	6	2	A.	7	A.	0	22	1	16
2070	26	11	M.	27	M.	0	13	1	7
2080	4	6	A.	5	A.	0	18	1	12
2082	12	12	A.	13	A.	0	12	1	6
2084	21	6	M.	22	M.	0	18	1	12
2085	9	4	A.	10	A.	0	20	1	14
2086	29	12	M.	30	M.	0	12	1	6
2089	26	3	M.	27	M.	0	21	1	15
2096	7	7	A.	8	A.	0	17	1	11

Tabella VIII. annorum intra xx. sæcula; quibus posticipationes Clavii excedunt maximas anticipationes Anonymi intra xv. sæcula, & propellunt xiv.^{as} a Pleniluniis per diem unum, & ulcrà.

Anni	Plenilunia media computata a meridie.			xiv. Clavii.		Posticipationes xiv. m Clavii respectu Plenilunii.		Posticipationes xiv. m Clavii respectu sedis suæ.	
1638	14	23	A.	16	A.	1	1	1	19
1708	5	0	A.	6	A.	1	0	1	18
1745	16	0	A.	17	A.	1	0	1	18
1764	15	17	A.	17	A.	1	7	2	1
1784	4	18	A.	6	A.	1	6	2	0
2088	5	19	A.	7	A.	1	5	1	23
2392	7	19	A.	9	A.	1	5	1	23
2696	8	20	A.	10	A.	1	4	1	22

Quòd si cætera omnia paria forent, neque antiquorum Patrum exemplum Anonymo suffragaretur, jure nihilominus quis contenderet æquationis Epocham talem esse constituendam, ut xiv.ª potius magis quàm par est Plenilunia antecedant, quàm ut sedem suam consequantur. Cum enim ea sit Epactarum natura, ut lapsu temporis potius in posticipationem prolabantur, quàm ut statum, quem in radice habuerant antevertant, donec per Æquationem denique adhibitam in pristinum restituantur; commodè accidit ut initio nonnihil ante sedes habitas collocentur, ita enim progressu temporis vitium sese corriget, & xiv.ª cum sede sua examussim convenient; cùm verò ex ea iterùm ulterius devolutę fuerint, opportunè Æquatio superveniet, atque eas, antequam error succrescat, suum in locum restituet. Quòd si ab initio, atque in ipsa radice tardiusculę fiant, magis, ac magis tractu temporis id vitii augebitur, ut jam nimis serò ęquatio adhibita videatur.

Addam ne etiam aliam majorem rationem facere pro xiv.is anticipandis, quàm pro iis cum Clavio postponendis? Nàm cum tam anticipatio, quàm posticipatio xiv.ª Cyclaris ab initio ejus desumatur, quoties hoc initium ante Plenilunium ultrà quam par est acciderit, saltem aliqua xiv.ª posterior pars minùs Plenilunium antecedet; contrà si initium xiv.ª Cyclaris post Plenilunium contigerit, tantò seriùs reliqua ejus diei pars Plenilunium sequetur. Ut si contingat xiv.am Cyclarem incidere ex. gr. d. 7. Aprilis, Plenilunium verò accidat die 8. ejusdem hora 23., & ita Quartadecima media non absolvatur nisi die 8. hora vigesima tertia; quanquam in hoc casu anticipatio xiv.ma Cyclaris dicatur d. 1. h. 23., postrema tamen ejus pars Plenilunium non antecedit nisi h. 23. Contra si supposito Plenilunio d. 8. h. 1. xiv.ma ponatur d. 9., posticipatio quidèm ejus censebitur h. 23.; sed quo ad extremam partem erit d. 1. h. 23.; ut constet rationabiliorem esse eam dispositionem xiv.ma rationem quæ Plenilunia potius anteveniat, quàm quæ consequatur; & hæc consideratio multoties Paschæ celebrationem in xiv.ma civili excusare posse videtur, uti de facto ex hoc capite non potest non excusare Clavius Cap. 18. n. 5. Paschata illa, quæ Nicænæ Synodi temporibus celebrata sunt.

Non ignoro quamplures celeberimos viros, qui de hoc Calendarii negotio scripserunt, paulò aliter in hoc articulo sentire; & cum nobiscum conveniant tùm in agnoscendis nimis Clavii posticipationibus, Patrum exemplo, & Gregorianę menti contrariis, tùm in accusando calculi errore, quem in Pleniluniis 100.ª communium commisit; existimare tamen, si de Calendario iterùm reformando agatur, non esse Lilii Epactas usquequaque servandas, utpote quæ anticipationem aliquando invehant Clavianę posticipationi ferè æqualem. Quod presertim consilium eò securiùs proponere possunt, postquàm alias rationes valde ingeniosas excogitarunt, juxta quas Epactę annuę inveniri, & cum motibus cęlestibus accuratiùs conformari possint. Certè ille, quem meritò sępè laudavimus Illustrissimus Blanchinus in *Paschalis Problematis solutione*, atque in appendicibus egregio huic operi adnexis, expendit an, & quatenus xiv.ª disponere liceat, quæ sedes suas antevertant, atque in eam inclinat sententiam, ut paulò rigorosiùs cum iis nostro ęvo

agen-

agendum sit, quàm S.S. P. P. temporibus ageretur; quam deinde regulam servat in Cyclo Octagrammo a se excogitato., ut ope ejus Paschalis solemnitas, absque ullius erroris metu, in perpetuum determinari possit. Quapropter ea quę pro anticipationibus Lilianis dixi, nolim ita accipi, quasi contendam non posse Epactarum methodum Liliana accuratiorem excogitari; sed tantùm ut constet nihil absurdum, nihil adeò periculosum ab Anonymo in hisce Assertionibus statui, a quo Liliana ratio prę Claviana collaudatur.

Denique concludis Hyppoliti, Eusebii, Theophili, aliorumque ante Dionysium Epochas exemplo nobis esse non debere, cum eorum Cycli constructi sint antequàm Ecclesia Gręca, & Latina in eodem celebrandi Paschatis die convenirent contrà Nicęnę Synodi decreta Solam Dionysii Epocham esse servandam, cujus tempore, sublato omni dissidio, utraque Ecclesia in eodem die conspiravit.

Non digrediar hìc in afferendis causis propter quas inter Gręcam Latinamque Ecclesiam super celebratione Paschatis dissidia viguerunt. Constat ex S. S. P. P. monumentis a P. Bucherio atque ab Eminentissimo Norisio recensitis, ejus dissidii rationes longè alias fuisse ab iis, quas cum Clavio supponere videris, nimirùm ab excessiva pręcessione Pleniluniorum Cyclarium, & controversiam omnem vel circa Paschales terminos nondum pleno consensu receptos, vel circa admittendam, aut excludendam a resurrectionis gaudio Lunam xv.am viguisse. Itaque dubitationes illæ, quæ ad aliud Paschalis regulæ Caput pertinebant, tot Patrum exemplis fidem derogare non possunt.

Denique quod a Nicænis Patribus cæterisque antiquioribus norma sumi non debeat Paschatis celebrandi, neque Æquationum Epocha ad eorum sæculum statui; sed ad tempus Dionysii, cujus Canones, posthabito Nicænæ Synodi exemplo, servandi sint; durum fortasse videbitur iis, qui legerint Gregorianæ Bullæ verba, ubi de Dionysio verbum nullum faciens, jubet Sanctissimus Pontifex Lunam in eum statum restitui, quem tempore Nicænæ Synodi habebat, & a quo per 4., & eò amplius dies prolapsa erat. Durum etiam videbitur illis, qui Clavium legerint Cap. 10. Expositionis n. 8. 9. 10., ubi rationem reddit cur æquationem Epactarum diurnarum, quæ Calendario adscribuntur, fecerit potius in Epactis xxv. 25. quàm in Epactis *, *, ubi apertè docet: se id fecisse, ut Lunationes Paschales magis congruentes efficiantur Lunationibus Aureorum numerorum Concilii Nicæni, *cujus decreta, & sanctiones in omnibus; quo ad ejus fieri potuit, & par fuit, & retinuisse se profitetur.*

I X.

IX. Assertio Anonymi.

Antiquissimus omnium qui supersunt Canonum est S. Hippolyti Episcopi Portuensis, qui ejus statuæ Marmoreæ vetustissimæ in Bibliotheca Vaticana nunc expositæ, Græcè inscribitur. Is XIV.am Paschalem anno primo Alexandri Imperatoris, Christi 222. habuit Idibus Aprilis Sabbatho, cujus meridies Romæ præcessit Plenilunium medium h. 6. Verùm in annis sequentibus crevit præcessio, donec ejus incrementum, ob Cyclum adhibitum annorum 16. plures dies excesserit, nisi nova Epocha fuerit restitutus.

Respondes Canonem S. Hippolyti non debere esse normam Calendario Gregoriano; nam in hoc non prohibetur celebratio Paschatis die Plenilunii medii, sed solùm in XIV.ma vel antea; contrà S. Hippolytus, quoties XIV.a in Sabbathum incideret, non die Dominico sequenti, sed Luna XXII. Festum indicebat.

Et hoc quidèm totum Anonymus libenter concedet; non enim contendit Cyclum S. Hippolyti ab Ecclesia observandum esse, aut XV.am a die Paschatis excludendam. Tantùm asserit S. S. P. P. nunquam de præcessione XIV.ma evitanda fuisse sollicitos, sed potius in Epocham Cyclorum suorum tales annos elegisse, quibus præcesio hæc manifestissima sit; & quia inter Cyclos SS. Patrum, quorum memoria extet, antiquissimus est S. Hippolyti Cyclus, idcirco ab eo incipit hanc præcessionem ostendere, quæ planè negari non potest.

Quod autem S. Hippolytus adeo a XIV.ma abhorruerit, ut potius Pascha ex XV.ma in XXII.am rejecerit, id scilicet fecit quia nondum ab Ecclesia dirempta fuerat controversia circa hoc vigens, & nondum sancitum ut XV.ma in Paschalem diem reciperetur. Declaravit deinde Ecclesia usu, ac consensu suo XV.am recipi, atque in hoc S. Hippolyti exemplum non esse attendendum; at præcessionem XIV.ma esse evitandam, imò affectandam posticipationem, non declaravit; sed illam potius, quàm hanc usu, ac consensu suo confirmavit, ut ex sequentibus Patrum exemplis videre est.

X. Assertio Anonymi.

Post Concilium Nicęnum, quod Pascha eodem die, quo Romę ab omnibus celebrandum edixit, ejusque supputandi onus injunxit Pręsulibus Alexandriæ, utpote Urbis rei Astronomicę disciplina clarissimę, xiv.a Paschalis ea regulâ determinata, quę, ut inquit Dionysius Exiguus ab ejus Archiepiscopis, S.S. Athanasio, Theophilo, & Cyrillo servata est, anno Christi 326. fuit d. 2. Aprilis, cujus meridies Romę Plenilunium medium sesquialtera die præcessit.

Respondes: *ex eo quod Concilium Nicænum definierit Pascha eodem die, quo Romæ ab omnibus Christianis debere celebrari, evidenter deduci dies Paschales ab Alexandrinis determinatos, qui ab Ecclesia Occidentali non erant observati, non esse secundum mentem Concilii Nicæni*. Ex qua responsione statim infero: Ergo dies Paschales ab Alexandrinis determinati saltem quoties ab Ecclesia Occidentali observabantur, erant secundùm mentem Concilii Nicęni. Sed etiam iis annis xiv.mæ plerumque pręcedebant Plenilunia uno die, & ultra; ergo quòd xiv.mæ pręcedant Plenilunia tanto tempore est secundùm mentem Concilii Nicæni. Constat hoc pręsertim anno 326., quo xiv.ma incidit in diem 2. Aprilis, & pręcessit d. 1. h. 14. Plenilunium, quod 3. Aprilis h. 14. commissum est, & tamen Pascha celebratum fuit d. 3. Aprilis; atque idem de aliis pluribus annis verificatur.

Deinde ex eo pręcisè quod Concilium Nicęnum definierit Pascha eodem die, quo Romę ab omnibus Christianis celebrari; non magis deducitur dies Paschales ab Alexandrinis determinatos, quàm a Latinis esse adversus mentem Concilii Nicęni. Non enim hoc definivit: eos dies Paschales fore, quos Latini determinassent, sed quos ritè determinatos acceptassent, eos per totum Orbem servari pręcepit. Determinandi autem Paschalis diei curam tantùm abest ut Latinis dederit, ut potius ab Alexandrinis secundùm Lunę computos ea in Urbe magis quàm Romæ tunc exploratos rem confici jusserit. Verum equidem est, quòd cum hæc ipsa determinatio penderet ex Paschalibus terminis, & Luna xv.ma in diem Paschalem recipienda, vel ab eo excludenda, & de his inter Alexandrinos, Latinosque non conveniret, neque Concilium circa hoc satis apertè mentem suam declarasset, fieri poterat Pascha ab Alexandrinis ritè secundùm eorum regulas determinatum, Latinis legitimum non videri, sed aliumdiem pro Paschali solemnitate constitui, qui ex adverso Alexandrinis legitimus non videretur. Quo casu mens quidèm expressa Patrum hæc fuerat, ut quod Romæ indictum esset per universum Orbem servaretur, at non propterea Paschalis dies Latinorum potius, quàm Alexandrinorum menti conveniens, secundùm Concilii mentem dici poterat. Eo prorsus modo, quo proximis ante Gregorianam correctionem annis Pascha per universum Orbem celebrari par erat quo die a Romana Ecclesia indicebatur, ab hac tamen rectè indictum censeri non poterat, cum Cyclus aurei numeri nimiùm jam a Lunaribus motibus evagaretur.

Sed

Sed tu ipse, ut puto, idagnoscis, allegas enim verba Hilari, quibus apertè testatur : *neutram partem dum impugnatur ab alia putari evidenter adstruere hujus observantiæ disciplinam* : neque precisè contendis ritum Ecclesiæ Latinæ fuisse juxta mentem Concilii ; sed tantùm non fuisse contra disciplinam Ecclesiæ universalis. Mirum tamen videtur quod inde colligis, nempe *dies Paschales tùm secundùm ritum Ecclesiæ Græcæ , tùm secundùm ritum Ecclesiæ Latinæ, non esse secundùm decretum Concilii Nicæni*. Si enim neutro modo Paschalis dies ad mentem Concilii fuit , qualis denique legitimus Paschæ dies dici poterat ? Cautiùs ergo quis dixerit utrumque ritum fuisse secundum mentem Concilii , quatenus Pascha sic determinatum a Romana Ecclesia approbaretur.

Ceterùm quidquid de hoc sit , controversia inter Latinam , & Græcam Ecclesiam nunquam ex eo Capite insurrexit , quod xɪᴠ.ᵐᵉ ab Alexandrinis ultrà quàm par esset Pleniluniis anteponerentur , & sepenumero Pascha ab Ecclesia universali celebratum legimus juxta Cyclos , qui xɪᴠ.ᵃᵐ uno die , & eò amplius preponebant.

Tandem ais Dionysium, virum grecè latinèque doctum novos Canones conscripsisse ab utraque Ecclesia probatos usque ad Gregorium XIII. & Epochàm ejus Cycli esse veram Romanam , atque ab omnibus Christi-fidelibus assumptam ad mentem Concilii Nicæni tamquam legitimam , ac sine ulla controversia observatam, quod de nulla alia Epocha verificatur.

Respondeo Dionysii methodum , quanquam nihil novi quo ad substantiam contineret , & Cyclum tantummodo XCV. annorum a Cyrillo introductum restauraret , retentis xɪᴠ.ⁱˢ in eo statu, in quem prolapse tunc erant , meritò tamen ab Ecclesia receptam in ea temporum conditione , qua neque illa xɪᴠ.ᵘᵐ retardatio atque a Nicena sede deturbatio manifesta erat , neque ulla certior , aut facilior inveniendi Paschatis regula suppetebat . Quemadmodum tamen tractu temporis Dionysiana illa regula a cœlo vehementer dissentire agnita est , & correctionem requirere ; ita in hac ipsa correctione distribuenda , ejusque Epocha eligenda , religionem nullam esse , ut Dionysii potius quàm vetustiorum Patrum exempla sequamur, jubente presertim Gregorio decimotertio apertissimis verbis, ut Quartedecimæ Paschales in eundem quem tempore Niceni Concilii sepe dicti habuerant statum , in nova Correctione restituerentur ; que declaratio tanti est, ut integrum nobis non sit eas ad Dionysiani temporis statum reducere.

XI. Assertio Anonymi.

Quas S. Ambrosius in Epistola ad Episcopos per Æmiliam constitutos commemorat XIV.^mas Paschales, ab anno 360. ad annum 387. cum plerique Episcopi Romanę Ecclesię etiam post Alexandrinorum definitionem suam expectarent sententiam, Plenilunium medium in meridie Romę prevenisse deprehenduntur.

RESpondes S. Ambrosium determinavisse XIV.^mas ex Cyclo decennovennali, quem in perpetuum duraturum supponeret, ut constat ex Epistola ejus 82, de celebratione diei Paschalis, & cum Ambrosio reliquos Patres idem credidisse; unde evidens esse defectum XIV.^um Paschalium, quę post 312. annos ęquatione unius diei indigent, Concilii Nicæni tempore incognitum fuisse, & eo sæculo XIV.^as Paschales sæpiùs uno die, multoties biduo Plenilunia præcessisse, quare eas non esse in exemplum trahendas in constructione Calendarii perpetui.

Verùm, pace tua, V. Cl., responsio hæc a re de qua agitur disparatissima est. Non contendit Anonymus regulam, qua S. Ambrosius ad Paschæ celebrationem utebatur esse perpetuam atque infallibilem, neque idcirco eum, aut reliquos P. P. allegat ut eorum Cycli loco Epactarum ab Ecclesia in usum revocentur; sed ut ostendat eos solitos fuisse statuere XIV.^as potius ante, quàm post Plenilunium, ut supra se demonstraturum receperat. Planè quocumque Cyclo sive perpetuo, atque certo, sive temporario, & imperfecto, uterentur Ambrosius, atque alii SS. P. P.; poterant ejus Epocham ita constituere, ut XIV.^ae inciderent in tempora Pleniluniorum, vel ea consequerentur; & tamen hoc non fecerunt, sed potius XIV.^mas Plenilunio ultra diem solidum antepofuerunt. Ergo mens atque usus Ecclesiæ, non fuit XIV.^as Plenilunio postponi, sed anteponi.

Deinde, si tua hæc responsio aliquid contra Anonymum faceret, eodem jure contra te militaret. Nam neque Dionysius Exiguus (quem tanti facis, ut ejus exemplum tot S. S. P. P. auctoritati præferendum putes) agnovit defectum XIV.^um Paschalium in Cyclo suo, sed eum censuit regulam certam atque perpetuam XIV.^mæ inveniendæ. Imò neque post Dionysium per aliquot sæcula nota fuit Aurei Numeri posticipatio, adeo quidèm, ut Beda, cujus denique tempore manifestissima illa erat, multum se torserit in excogitandis rationibus, quibus Cycli decennovennalis regula, quam infallibilem censebat, cum lunaribus Phęnomenis conciliaretur. Si itaque Ambrosii, & Antiquorum exempla eo titulo in normam sumi non possint, neque Dionysii exemplum majorem securitatem habebit.

Addis ex allegata Epistola 82. S. Ambrosii apertè colligi XIV.^as ita in Calendario distribuendas, ut Sanctum Pascha celebretur potius post Plenilunium verum, quàm antea; ait enim: *hæc lex Paschæ nobis servanda est ut non XIV.^am observemus in die Resurrectionis, sed in die magis Passionis, aut certè aliis proximis superioribus diebus*. Sed respondeo hanc Ambrosii auctoritatem, si in-

si intelligatur de excludenda a Paschali solemnitate Luna xv.ma nimis probare, cum contrarius usus ab Ecclesia receptus sit. Itaque non aliter intelligenda sunt Ambrosii verba, quàm ut xiv.ma a gaudio Resurrectionis excludatur, quod utique cum Lilianis Epactis fieri potest, respectu xiv.mæ Cyclaris, & ut plurimum etiam respectu mediæ, licet ex Cycli imperfectione quandoque contingat xiv.am mediam aliquas horas cum die Paschæ communes habere, quemadmodum Nicæno sæculo factum.

XII. Assertio Anonymi.

Canon Paschalis annorum 100. a Theophilo, munere a Nicæno Concilio Alexandriæ tradito fungente, hortatu Theodosii Imperatoris anno Christi 380. editus, & S. Ambrosii usu comprobatus, ejus anni xiv.am Paschalem habuit d. 5. Aprilis, cujus meridies d. 1. Plenilunium medium præcessit.

REspondes Theophilum non deduxisse xiv. ᵃᵐ e Cyclo decennovennali, neque ex alio etiam vero, unde ejus xiv.ᵃ inservire non posse prò regula Cycli Epactarum, quæ perpetuò indicare debent xiv.mas Paschales, itaut quantùm possibile est verificetur Sanctum Pascha non celebrari ante Plenilunium medium.

Sed quidquid de his sit, exemplum Theophili non est adeo ad unguem observandum, ut si ille Cyclos omnes posthabuerit, etiam nunc Cycli ab Ecclesia eliminandi sint; aut si ille Cyclis minus idoneis usus sit, iisdem nos uti conveniat. Tantùm observandum, etiam Theophilum in hoc cum aliis P. P. convenisse, ut cum posset xiv.ᵃˢ Paschales paulò seriùs collocare (& quidèm tanto liberiùs, quanto juxta doctrinam tuam Paschales regulas ab omni Cyclorum lege solutas tradere proposuerat) voluerit nihilominus ipso primo anno Canonis sui xiv.am per diem solidum Plenilunio anteponere. Hoc inquam, nec quidquam aliud Anonymus postulat, & eodem prorsus modo argumentatur, quo tu ipse, V. Cl., in responsione tua uti soles. Neque enim tu, ut arbitror, Dionysii Exigui Cyclum pro certa, & perpetua Paschatis inveniendi regula obtrudere nobis voluisti, cum notum sit xiv.ᵃˢ per hunc Cyclum inventas spatio 312.½ Annorum uno die sedes suas retardare. Hoc tamen non obstante inculcas Dionysii exemplum in eo esse attendendum ut xiv.mæ Plenilunio non multum anteponantur. Eodem ergo jure Anonymus agnoscit Antiquiorum Cyclos insufficientes, atque erroneos, sed quo ad eorum Epochas, cum hæ arbitrariæ essent, & tamen semper in iis xiv.mæ Pleniluniis antepositæ fuerint, meritò Clavium culpat, quòd ab hoc exemplo recesserit.

Itaque non immorabor in iis expendendis, quæ hìc affers ut ostendas Theophili errores in eo, quòd falsò supposuerit Æquinoctium d. 21. Martii perpetuò affixum, item Pascha celebrari non posse in Plenilunio, & Plenilunii diem eundem esse cum xiv.ma; hæc enim adversum nos nullatenus faciunt.

Tan-

Tantùm monebo ea, quæ in fine hujus responsionis attulisti, adeo Clavio non favere, ut contra eum vel maximè pugnent. Ais Reformatores Gregorianos in dubiis postponere semper diem Paschalem, etiam quando necessitas urget usque ad 11. Mensem, alludens procul dubio ad illa verba hypothesis eorum primæ per te allatæ; *in Paschatis celebratione minùs erratum est si in secundo Mense, quàm si in duodecimo Pascha celebretur*; & hoc conforme esse autumas exemplo Theophili, quod hac in parte Gregoriani Reformatores secuti sunt, cum in aliis sequi non potuerint. Hoc inquam maximè contra Clavium pugnat. Nam quantò cautiùs Gregoriani Reformatores in illis hypothesibus XII. Mensem evitaturi, potius in II. Pascha differri præcipiunt, tantò pejus cum Clavianis Epactis actum est, quæ ita comparatæ sunt, ut periculum omne celebrandi Paschatis XI.° Mense egregiè declinaverint, utpotè quæ illud in XII.um sæpè conjecerint, ut supra demonstratum est.

XIII. Assertio Anonymi.

S. Cyrillus ejus in Alexandrina sede successor Theophilanum Canonem ad Cyclum annorum 95. redegit, quem auspicatus est ab anno Christi 437. in quo XIV.ma Paschalis fuit d. 5. Aprilis, cujus meridies præcessit Plenilunium medium horis 26.

Respondes Gregorianos Reformatores Cyrilli doctrinam aut Cyclum meritò imitatos non fuisse; non modò enim hunc Theophili Cyclo deteriorem extitisse (Theophili tamen Cyclum ullum fuisse paulò ante negaveras) sed neque Patres Latinos, neque Græcos omnes tali Cyclo usos esse, & Cyrilli doctrinam non esse secundùm Ecclesiæ usum, eò quòd ille Quartamdecimam cum Plenilunio confunderet, & Pascha in Plenilunio non celebraret.

Verùm ex iis quæ ad præcedentes responsiones copiosè dicta sunt, liquidò constat hæc omnia, si vel maximè vera sint, contra Anonymi sententiam nullatenus militare.

XIV. Assertio Anonymi.

Theophilanus Canon unde is fuit erutus summa S. Leonis Papæ vigilantia, annis Christi 453. & 454. suis ad S. Proterium Alexandriæ Episcopum monitis, interposita Martiani Augusti, & Eudoxiæ auctoritate, & cura Leonis Episcopi, sui apud Imperat.^m Constantinopoli Legati ad exactissimum examen Alexandriæ fuit revocatus, cumque inventus fuisset rectè, diligenterque compositus, juxta ipsum Pascha anni 455. quod in Occidente in controversiam vocabatur, literis ab ipso S. Leone universis Episcopis Catholicis per Gallias, & Hispanias constitutis, fuit indictum.

Respondes S. Leonem iisdem literis testatum esse quid circa solemnitatem Paschalem ejus anni sentiret, neque alia de causa, quàm *studio unitatis, & pacis Orientalium definitioni acquievisse*, a quibus ea celebritas VIII. Cal. Maii indicebatur. Cæterùm mentem ejus fuisse ut Pascha XV. Cal. Maii celebraretur, quo pacto *neque in ratione Plenilunii, neque in primi Mensis limite fuisset erratum*, auctore Divo Prospero in Chronico, qui etiam disertè addat *toleratam potius eo anno, quàm probatam fuisse ab Ecclesia Alexandrinorum determinationem*, neque deinceps in exemplum trahendam.

Sed quantum hæc responsio tibi faveat, quæso te, V. Cl., expendamus. Incidit eo anno XIV.^ma ex Aureo Numero deducta, & Theophilano Canoni conformis in diem Dominicum 17. Aprilis, cujus meridies Romæ h. 10. Plenilunium præcessit, quare nullatenus juxta hanc hypothesim Pascha celebrari potuit d. 17., sed expectandus fuit d. 24. ut Orientalis Ecclesia definierat. Quod si ergo, hoc non obstante, S. Leo ex sententia sua Pascha celebrare maluerat d. 17. ut ex Prospero autumas, oportet eum usum fuisse XIV.^ma, quę præcederet d. 17., & incideret saltem in d. 16. Quare tantò magis XIV.^a a S. Leone supposita Plenilunium præcessisset, quàm ea, quæ ab Alexandrinis proponebatur. Itaque tantùm abest ut Leonis mens tibi prosit, quin sententiæ tuæ maximè contrarietur; tu enim XIV.^as Plenilunio anteponi ægrè fers; ille autem, ut ostendi, utitur XIV.^a quæ plusquam uno die Plenilunium præcedit. Et profectò in responsione ad Assertionem sequentem id agnoscis, ubi fateris S. Leonem in hoc dubio, jure optimo eam partem denique elegisse quæ potius Pascha 7. diebus postponeret; ut mirum sit quomodo nunc D. Leonis assensum veluti pro bono pacis extortum, ejusque exemplum quasi non imitabile tantopere exaggeres. Sive igitur potior erat Latinorum Cyclus, juxta quem XIV.^ma incidebat ante diem 17. Aprilis, sive Alexandrinorum, a quo in d. 17. referebatur, semper manet XIV.^am anni 455. saltem h. 10. Plenilunium medium antecessisse, quemadmodum Anonymus asseruit.

Cæterùm quæ adversus hoc Pascha habet S. Prosper minimè attendenda sunt, cum ille loquatur juxta regulas Paschales a Latinis propositas, quę Alexandrinorum regulis longe deteriores erant, & propterea in Ecclesia antiquatę sunt.

XV.

XV. Assertio Anonymi.

Fuit eo anno Luna xiv.ma ut testatur S. Proterius in Epistola ad S. Leonem xv.o Cal. Maii, cujus meridies Romæ invenitur præcessisse Plenilunium medium h. 10., quantum ferè meridies diei 3. Aprilis anni 1700. præcedet Plenilunium medium. Quo mirabili consensu iterùm videtur proclamare S. Leo Sum. Pontif. d. 3. Aprilis anni 1700. in xiv.am Paschalem esse accipiendam, adeoque Sanctum Pascha die sequenti 4. Aprilis esse celebrandum, juxta methodum, & Tabellam compendii a Gregorio Sum. Pontif. ad Principes Christianos, & ad celeberrimas quasque Academias missi; nec standum patentissimis erroribus calculi in supputatione Pleniluniorum annis 100.mis non bissextilibus in alia Tabula commissis. Illi Tabulæ conformis est ea, quę ab anno 1583. deinceps fuit adhibita, quo etiam anno xiv.ma Paschalis in meridie Romę pręcessit Plenilunium medium h. 18.; quare si Epactę accipiantur adhuc usque ad annum 1799. ex Tabella Breviario Romano inserta, quæ ab anno Correctionis Gregorianę hucusque inservivit, xiv.mæ Paschales in eodem ferè ad Lunam positæ futuro sęculo perseverabunt, ac sęculo S. Leonis magni, cujus auctoritate Romana Ecclesia Paschales Alexandrinorum regulas, quas nunc servat, Latinorum regulis, quando ab ipsis discrepant, cæpit pręferre.

Respondes Censorem in hac Assertione, non modò falsò supponere Plenilunium medium Gregorianum, & Ecclesiasticum anno 1700. fuisse d. 3. Aprilis (de quo tamen supra ad Assertionem III. satis dictum existimo) sed falsò etiam ex hoc inferre quod S. Leo iterùm proclamare videatur Pascha Anni 1700. d. 4. Aprilis celebrandum fuisse. Siquidem S. Leo Theophili Canonem sequutus Pascha postposuit per d. 7. & xiv.am per d. 1. respectu Cycli Latinorum, in quo tàm xiv.mo, quàm Pascha prius adnotabantur; quare exemplo suo potius insinuavit xiv.am; & Paschalem solemnitatem differendas esse, quàm justò maturiùs indicendas. Hinc Gregorium XIII. inducis pro Cycli sui indemnitate perorantem ad Sanctiss. Pontificem Clementem XI. iisdem verbis, quibus S. Proterius usus fuerat ut Leoni necessitatem dilationis hujus indicaret; nam quemadmodum anno 455. dilata fuit Paschæ solemnitas in diem VIII. Cal. Maii, quia Luna xiv.ma incidebat in diem Dominicum xv.o Cal. Maii, ita anno 1700.; quia xiv.ma incidit in diem Dominicum 4. Aprilis, propter Epactam IX. in sequentem Dominicam 11. Aprilis Pascha transferendum erit.

Verùm vehementer timeo, V. Cl., ut Gregorius pro Cycli sui indemnitate simili oratione ad Clementem XI. usurus esset. Neque enim video quàm efficaciter hunc Cyclum tueri posset supponendo id ipsum quod quæritur; nempe Epactam anni 1700. esse IX.; neque arbitror Gregorium agniturum pro suo talem Cyclum, qui ejus menti de Epactis toto quatriduo mulctandis apertissimè adversatur. Allegaret potiùs Bullam Correctionis ab ipso editam, & miro Christiani Orbis consensu receptam, rogaretque Sanctissimum Pon-

Pontificem Clementem , ut posthabitis Clavii mutationibus , quæ nulli fundamento nituntur, & cum erroneis Pleniluniorum calculis connexæ sunt , Bullam ipsam juxta germanum, syncerumque ejus sensum executioni mandari præciperet .

Sed hoc dimisso, certum est S. Leonem assumpsisse in XIV.am eum diem , cujus meridies h. 10. Plenilunium medium præcedebat, nempe d. 17. Aprilis. Ergo quoties die aliqua continget Plenilunium Paschale h. 10. post meridiem, jure meritò contendemus exemplo S. Leonis eum diem assumi debere in XIV.am Paschalem , si hoc contingat aliquo anno sæculari , in quo agatur de Æquatione facienda , vel omittenda , ut exinde reliquorum annorum ratio deducatur. Ergo cum anno 1700. d. 3. Aprilis hoc contigerit, jure meritò d. 3. Aprilis in XIV.am Paschalem a Lilio , & ab Anonymo electa est , & consequenter Epacta non erit IX. , at X. Hic est legitimus usus exempli S. Leonis , quem Anonymus hac assertione proponit .

Lusum autem quærere videris , V. Cl. , dum exemplum hoc in Anonymum retorques ea ratione , quòd quemadmodum S. Leo ex duobus diebus Paschalibus anni 455. eum elegit , qui octiduo posterior erat, & XIV.am uno die tardiorem habebat, ita par fuerit anno 1700. ex duabus Epactis IX. & X. eam præeligere , quæ XIV.am uno die retardaret ; non enim retardationem hanc , sed majorem eum motibus cœlestibus conformitatem spectasse centendus est S. Pontifex ; neque Anonymus contendit XIV.as Pleniluniis studiosè anteponendas esse ultra unum diem, sed negat studiosè, ut Clavius facit, differendas . Itaque anno 455. cum Plenilunium incideret in d. 17. Aprilis h. 10. utique conveniebat in XIV.am potius eligi d. 17. quam 16., & consequenter Pascha differri ad d. 24. , cum d. 17. esset Dominicus; sed d. 18. in XIV.am eligi par fuisse , hoc est quod Anonymus negat . Quare ex eadem ratione , cum anno 1700. Plenilunium accidat d. 3. Aprilis h. 10. , non adeo anticipationem affectat Anonymus , ut velit eligi in XIV.am d. 2. , sed d. 3. ; diem certè 4. eligi , ut a Clavio factum est , S. Leonis exemplo repugnare affirmat .

Pergis porrò , & deprehendisse tibi videris in verbis Anonymi repugnantiam . Cum enim ille suprà dixisset Epactas Gregorianas , & consequenter XIV.as Paschales , esse uno die tardiores , quàm conveniat , fateri nunc eum primam XIV.am Paschalem Gregorianam in meridie Romæ præcessisse Plenilunium medium h. 18. , quod est tempus exactum , ut XIV.ma suo in loco sit .

Sed profectò nulla talis est in verbis Anonymi repugnantia . Nullibi enim asseveravit Epactas , seu XIV.mas Clavianas omnes , & semper esse uno die tardiores , quàm opus sit ; sed tantùm maximam earum partem talem esse . Ceterùm Epactalis Cycli natura ea est , ut quemadmodum posticipatio aliquibus annis evitari in eo non potest, etiamsi Epocha nonnihil Plenilunium antevertat , ita anticipatio aliquibus annis ex necessitate contingat , etiamsi radix paulò tardior statuatur . Anno autem 1583. fortè accidit ut XIV.ma Clavii exactè sedem suam custodiret , & precisè Plenilunium antecederet h. 18 ; hoc tamen non tollit quin Epactæ Clavii absolutè tardiores justo , & studiosè , ut ipse fatetur , dilatæ censendæ sint , quia scilicet plerisque an-

nis tales sunt. In quo tamen advertendum longè evidentiorem esse earum retardationem quibusdam sæculis quàm aliis, equationis ratione ita ferente; & equidèm excusabilem hanc censeri potuisse ab anno 1583. ad 1700. sed hoc demum sæculo factam esse nimiam atque immanem, propter æquationem in sequentem 100.um dilatam. Quapropter Anonymus benignè hìc cum Clavio acturus, Epactarum ejus, quæ ab anno 1583. ad 1700. usurpatæ sunt, retardationem dissimulat, & ipsam primi anni Epactam in exemplum producit, quæ fortè omnium per id temporis accuratissima extitit; reliquas verò post annum 1700, vel saltem plerasque earum, utpote enormiusculè retardatas impugnat.

Pergis futurum fuisse ut elapso sęculo, si Gregorius usus fuisset Tabellis illis, quæ in Compendio Calendarii ad Christianos Principes missę fuerant, Pascha sæpè celebraretur ante Plenilunium medium, & in xiv.ma; imò ut ipsa xiv.ma primi anni a correctione 1583. præcederet Plenilunium h. 42. seù numerando a media nocte h. 54.

Sed respondeo ostendisse me supra ad Assertionem vi., quatenus xiv.ma in Paschali solemnitate pręcavenda sit; neque quidquam magis absurdum contingere potuisse servatis Epactis, aut Tabellis compendii, non modò superiore sæculo, sed & reliquis, quàm quod primis post Nicęnam Synodum annis sæpissimè contingebat.

Denique Chronologicum lapsum Anonymo imputas, quasi ille dixerit sæculo S. Leonis Magni Paschales Alexandrinorum regulas fuisse in usu; ais enim nedum Leonem, sed & Hilarum Leonis successorem, aliis regulis usos esse, & hunc pręsertim, quem Victorii Canonem introduxisse ab Historicis traditum est.

Verùm hæc quoque difficultas tollitur ex ipsis Anonymi verbis; non enim dixit tempore S. Leonis Paschales Alexandrinorum regulas universali Ecclesiæ usu receptas fuisse, sed cæpisse Ecclesiam Leonis auctoritate Paschales Alexandrinorum regulas Latinorum regulis anteferre, quod utique negari non potest, cum de facto S. Leo Theophili Cyclum Latinorum Cyclo anteposuerit in definiendo Paschate anni 455.

XVI. Assertio Anonymi.

Nec quisquam rectè dixerit in usu non esse tantas xiv.rum Paschalium respectu Plenilunii medii anticipationes, quantæ fuerunt quæ a Concilio Nicæno, Sanctisque Patribus Athanasio, Ambrosio, Theophilo, Cyrillo, Leone Magno, & ab ipso Gregorio XIII.; primo statim ab ejus correctione anno, in ejus usum fuerunt adhibitę.

Respondes Cyclos S. S. P. P. Ambrosii, Theophili, & reliquorum tam ex Alexandrinis, quàm ex Latinis non fuisse perpetuos, quia nullam Æquationem Lunæ supposuerunt.

Et hoc utique extra controversiam est, neque ab Anonymo impugnatur; cui propositum non est, ut sæpè dixi, Cyclos eorum in usum trahere, sed tantùm Cyclaris Epochæ normam ab eorum exemplo deducere, ad imitandum, quan-

quantum fieri potest priscum Ecclesiæ institutum . Certè neque Dionysii Cyclus perpetuus fuit, & tamen non dubitas asserere xiv.as ad Epocham ejus sæculi referendas. Sed satis de hoc suprà .

Addis deinde S.S. P. P. nunquam usos esse Epactis veris ad examen xiv.um Paschalium , sed solùm Epactis vulgaribus, allegasque in hanc rem Midelburgensem Paulinæ lib. 11.

Sed primum peto an S. S. P. P. examinaverint unquam xiv.as Paschales , quæ a Cyclis offerebantur ? Planè non alia de causa tot Cyclos excogitabant, tot ab aliis excogitatos rejiciebant, vel amplectebantur , quàm quòd agnoscerent alios aliis accuratiores, & Cœlo conformiores esse . Hæc autem conformitas agnosci non poterat , nisi vel per calculos Lunarium motuum, qui ex Tabulis Epactarum verarum , vel aliis æquivalentibus deducuntur ; vel per immediatam observationem Pleniluniorum, aut Noviluniorum in Cœlo. Non enim dici potest xiv.as ab ipsis examinatas fuisse ope Epactarum vulgarium , seu Cyclarium , quia xiv.mæ his Epactis semper conformes sunt , cum ex ipsis deductæ sint . Ergo necesse est S.S. P.P. in Cyclorum electione, atque usu Lunares motus aliquo tandem pacto consuluisse. Itaque dum Paulus Midelburgensis testatur consuetudinem Ecclesiæ esse ut horæ, & horarum fragmenta in hoc negotio negligantur, non loquitur de examine Cyclorum, quod sine his horis , & horarum fragmentis minimè fieri potest; sed de indicendo quotannis Paschate , quod procul dubio non ex calculis subtilioribus , sed ex Cyclo semel ritè constituto , atque examinato semper celebratum est . Neque Anonymus huic usui repugnat , quasi laboret Cyclos ab Ecclesia eliminare, sed Claviani Cycli , aut potius Æquationis Clavianæ methodum , quæ & Cœlestibus motibus, & Patrum usui, & Gregorianæ menti adversatur, exagitat .

Urges : evidens esse S. S. P. P. non modò non cognovisse xiv.as Paschales Cycli aurei numeri , post 300. circiter annos posticipare uno die , sed ignotum etiam fuisse illis sæculo Concilii Nicæni multoties xiv.as Paschales anticipasse priusquam uno die, & contendis id ex S.S. P. P. operibus colligi, præsertim verò ex Proterio, ac Dionysio, quorum ipsa verba recitas.

Sed neque in verbis a te allatis quidquam tale legitur , neque quisquam sibi persuadebit ignotam fuisse S.S. P. P. adeò evidentem xiv.um anticipationem quæ Sæculo Nicæno , aliquando ferè ad biduum ascendebat Non enim magno calculorum apparatu , aut exquisita Astronomiæ cognitione opus illis erat, ut animadverterent Plenilunia, quæ ab omnibus oculatis observari possunt, tanto tempore post xiv.as contigisse ; & quatenus subtilioribus calculis fuisset opus , at saltem Alexandrini rem totam levissimo negotio conficiebant. Certè nostris temporibus vulgus ipsum Astronomiæ prorsus ignarum agnoscit Epactas Clavii sæpè biduo , aut triduo novilunia consequi , & anno 1700. agnovit evidenter Plenilunium toto octiduo ante Pascha celebratum fuisse , Epactis frustra reclamantibus . Quis ergo dixerit P. P. sanctissimos eosdemque doctissimos, adeò cæcos , caligantesque fuisse , ut rem sub omnium oculis positam non intelligerent? Equidèm concedo ignotum fuisse illis errorem Cycli Decennovennalis , qui adeò evidens non est , neque sensibilis

fieri potest nisi post longum temporis cursum; ac propterea legitur in eorum operibus *Cyclum decennovennalem violari nefas esse*, & XIV.*as per hunc circulum in se redeuntem stabiles atque immotas fixas esse*. Verùm erronea hæc Patrum circa decennovennalem Cyclum sententia non tollit quin manifestissimam XIV.um anticipationem agnoscerent, quæ non a Cycli natura, sed ab ejus Epochæ constitutione dependet, & retento decennovennali Cyclo evitari commodè poterat, constitutis una die seriùs XIV.is, ac Neomeniis. Cum ergo hoc Patres non fecerint, indicio est visam non esse illis exorbitantem hanc anticipationem, atque adeò non tantopere a Clavio formidandam. Sed de hoc quoque suprà ad abundantiam dictum est.

Hæc habui, V. Cl., quæ ad doctissimas responsiones tuas pro Anonymo reponerem. Quod unum superest, etiam atque etiam te obsecro, ne ea deteriorem in partem accipias, sed eo animo legas, quo scripta sunt: æquo, & ad veritatem presumptæ opinioni anteferendam paratissimo.

Post

Post hæc scripta incidi in Ephemerides historicas Scientiarum, atque Artium; quæ Trevoltii in Gallia vulgantur Mens. Jul. 1704. *ubi a pag.* 1070. *ad pag.*1084. *liber tuus refertur, ac pro merito collaudatur. Cujus recensionem avidè cum legerem, unum in ea offendi, quod me vehementer commovit. Ajunt Ephemeridum Auctores objicere te tibi ipsi in eo opere jussum Gregorii XIII ut Epactis* 4. *dies detraherentur, neque diffiteri tres tantùm detractos a Clavio fuisse; atque in hac præsertim objectione amplificanda, tuisque responsionibus hùc trahendis pagellæ octo insumuntur. Itaque miratus si dictum in hoc negotio præcipuum oculos meos effugisset, librum tuum iterùm in manus sumpsi. Sed quantumcumque ejus capita singula, titulos, margines, frontem, calcem, tergum volutaverim, ne vestigium quidem confessionis hujus inveni. Agnovi denique manum Auctorum historiæ illius, quibus novum non est doctrinam vel prorsus alienam, vel interpolatam, atque ad eorum sensum detortam librorum auctoribus imputare. Cujus rei insigne præsertim exemplum suppeditant Ephemerides Februarii* 1704.*p.*303. *ubi cum Illustrissimi Blanchini Tabulam* solutioni Problematis Paschalis *adnexam referrent, Cyclum ejus, quem* octagrammum *disertè inscripsit, per novem, si Diis placet, literas distributum esse dixerunt, deprompta e penu suo, atque hùc intrusa litera I, quæ novenarium numerum impleret.*

Sed gravius aliquid peccant quoties instituti eorum obliti, atque historiæ fines prætergressi vel in aliorum scripta inquirere, vel scriptorum Auctores argutulè notare sibi arrogant; a quo scribendi genere aliarum Ephemeridum collectores meritò semper abhorruerunt. Ita videas illos in Despreauxium, Maliabechium, aliosque complures viros omnium judicio celeberrimos calamum stringere, deque eorum doctrina, atque ingeniis tanquam e solio pronunciare.

Tantò igitur æquiùs ferendum est, quòd mihi etiam ignoto homini metum incutere conati sint in Ephemeride Aprilis 1704. *p.* 648. *præsertim cùm ego prior provocasse eos videri possem. Factum narrabo non illepidum, ut inter nos qui voluerit judicet.*

Retulerant in Ephemeride Augusti 1703. *p.* 1511. *literas de hoc ipso Calendarii negotio agentes, quasi a D. Serra ad Illustrissimum Blanchinum scriptas. Quæ in ea recensione dixerant adeo inaudita, neque a vero tantùm, sed a veri etiam specie remota sunt, ut longè credibilius, aut certè a D. Serra longè optabilius videretur aliena, & supposititia esse. Ergo cum de illo Ephemeridum loco Cl. Cassinus me admonuisset, atque ego id Blanchino significassem, negavit hic literas a D. Serra sibi unquam redditas, quæ ad Calendarium pertinerent; & mirari se adjecit, in Ephemeride Trevoltiensi scripta apocrypha evulgari. Fatebor me, nulla hæsitatione interposita, fidem Blanchino præstitisse, neque in mentem venisse mihi, ut ab eo solemne sacramentum, aut publicum Tabularum testimonium exposcerem. Cur enim Viro gravissimo, atque humanissimo non crederem, cum præsertim de ejus facto ageretur, quod neque si confessus esset quicquam metuere, neque si negasset quicquam sperare posset? Itaque ad Cassinum ipsis Blanchini verbis rescripsi, quæ paulò post Diario eruditorum Parisiensi ejusdem anni quadragesimo inserta sunt. Ea res Ephemeridum Trevoltiensium Auctores malè habuit. Ergo ad Amicos Romam scribunt. Confessionem juramento confirmatam a D. Serra impetrant: scripsisse se literas illas, ac curasse ut Blanchino redderentur. Tabulas*

bulas ea de re conficit Laurentius Rosellius Tabellio publicus . Tum verò in allegata Ephemeride Aprilis 1704. *p.* 648. *pauca de rei gestæ ordine præfati , testes allegant complures (atque inter eos te ipsum, V. Cl.) qui Serræ Epistolam Romæ legerant , aut frequenti in cœtu legi audierant ; deinde ipsam Serræ confessionem verbo tenus producunt, tanquam certissimum eorum fidei testimonium.*

Planè si scriptum illud cum Autographo Serræ convenit (de quo tu, V. Cl. judicare poteris, nobis enim ex alia quàm Trevoltiensium assertione non constat) si ejus gloriam adeo anxiè Serra sibi vindicat, habeat sanè ; neque enim aut Blanchinus , aut ego Blanchini *verba repetens eam illi præripere unquam cogitavimus ; ut mirum sit quomodo in hac una probatione Trevoltienses operam omnem collocaverint . Illud potius in magnifica ista defensione expectandum videbatur ut fateretur Serra , aut alios fatentes induceret literas ejus ad Blanchinum delatas ; vel certè ut allegaret hominem cui deferendas tradidisset, hoc enim denique illud erat in quo omnis quæstio versabatur . Quorum cum utrumque vel factu impossibile vel periculosum esset , satis habuerunt si Serram literarum Auctorem fecisse se demonstrarent. Sed quando Chirographis, Testibus, aut publicis confessionibus agenda res est; primum Blanchini Epistolam, cujus verba ad Cassinum misi , die* 2. *Octobris* 1703. *ad me scriptam assero , atque alias saltem tres, quas ad me postmodum in eandem sententiam scripsit. Deinde sexcenti Romæ sunt, qui Blanchinum auribus suis audierunt palam profitentem nullas se a Serra literas unquam accepisse, quæ de Calendario agerent, ut mihi Clarissimus atque amicissimus Vir P. Alexander Burgos superiore anno, Bononiæ cum esset , narrabat. Denique hoc idem disertis verbis testatus est Blanchinus ipse in dissertatione* Theorico practica , *quam de* Columna Antonini *transferenda nuper Hetrusco Sermone edidit parte* p. *pag.* 29. *sub finem; ubi Epistolam illam quasi ad se scriptam , nunquam verò ad se delatam, meritò apocrypham a se dictam esse, Hieronymi exemplo confirmat. Neque scio qua fronte Blanchini dictum in dubium vocaturi sint, qui Serræ testimonio fidem a nobis præstari plenissimam voluerunt.*

Ad me porrò quod attinet , addunt Trevoltienses : asservare se aliam , eamque prolixam Serræ de Manfredio Epistolam , quam tamen quasi existimationi meæ parcentes , ac benignè vel cum inimicis acturi Typis committi noluerint . Ego verò neque video quid de me scribi possit cujus editionem metuere debeam , neque scio an quicquam mihi injuriosius in ea Serræ Epistola, quàm in isto Trevoltiensium scriptorum silentio contineatur . Apocryphum scriptum ab iis relatum esse cum dixi , neque id de cerebro meo commentus sum, sed Auctorem dicti allegavi gravissimum, & certè non cogitavi quicquam existimationis Trevoltiensibus inde imminutum iri , quos tanquam honestos, religiosos, doctosque viros merito semper honore prosecutus sum . Nunc cum Cl. Cassinus dictum meum publicè innotescere voluerit (quod sine eorum injuria facere potuit) illi autem rem mecum agere velle videantur , non committam ut eorum minis absterrear , atque ita me geram ut hominem decet , qui neque eorum gratiam anxiè captare velit, neque indignationem valde metuere possit .

FINIS.




Restauro
Badia
di
Cava

